
V
B J
C

Hic liber est Magci Domini D. Stanislai
Sobek de Sulicow Castellani Sandecen
Regni Poloniae Thezaurarii etc. 1566



Constat florenis i. [illegible]

LIBERVM ARBITRIVM TRAGOEDIA FRANCISCI NIGRI BASSANENSIS.



PESCLAVII ANNO

1559.



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

Domino D. Nicolao Radzivvil: Duci in Olyka & Niesuiesz: Palatino Vilnensi: supremo Cancellario, & Archimarsalco magni Ducatus Lithuaniæ. FRANCISCVS NIGER Bassanensis S. P. D.



Citè sanè atq; eleganter est à M. Tullio dictum, præstantissime Dux, honorem virtutis esse præmium, iudicio, studioq; Ciuium ad aliquem delatum. Vt mihi negare non est animus quamplurimis obuenire, vt suis virtutibus celebres fiant, sic ausim constanter asseuerare, tibi præcipuè summa cum laude id nunc obtingere. Nam quis est obsecro, qui te norit, qui non præsentium tuarum dignitatum amplitudinem virtutibus tuis acceptam referat? Quanquam enim tuorum maiorum clarissimis imaginibus & illustris, & conspicuus adeò sis, vt vel hinc tibi ad omneis omnium munerum gradus pateat facilis & aditus, & ascensus: pleriq; tamen omnes, maximos, quibus nunc honestaris honores, ipsis potius tuis virtutibus, quàm partis aliunde splendoribus optimo iure ascribunt. Et cur non id efficerent quæso? Quum te ipsum ab ineunte ætate ita liberaliter educatum, atq; ad omnes egregio Principe dignissimas arteis, ingenuasq; disciplinas institutum conspicentur, vt Magistrati-

bus ex te, ꝙ tibi ex Magistratibus gloriæ plus multò
accedat? An non & ipsum Regem sapientissimum vi-
rum hoc idem sentire prorsus apparet? quum te ob in
genitam tibi singularem prudentiam, insitumq; hone-
sti amorem tanta beneuolentia prosequatur, tantiq; te
vnũ faciat, vt in potentissimi Regni administratione, nõ
suis te modo consilijs intimum semper habeat, verum
etiam ipsius Regni, quæ maximi sũt momenti, negotia,
nempe distrahendarum controuersiarum, ac punien-
dorum maleficiorum iudicia exercere: procurandis
prouincijs inuigilare, atq; alia id genus permulta, tibi
seorsum exequenda & committat & credat? Quæ
quidem omnia quum æquissimè per te, prudentissimè-
que gerantur, non ipsius modo Regis integritate, iusti-
tia, clementiaq; celeberrimum nomen exornant, sed
nobilissima domesticæ claritatis tuæ ornamenta exter-
nis atq; aduentitijs titulis maximoperè vnà illustrant:
quod virtutem æquè gloria sequi, atq; corpus vmbra
consueuerit. Porrò autem quæ sigillatim de tua libera
litate, quæ de magnificentia, quæ de tempestiuis conui
uiis, quæ de vitæ cultu atq; elegantia, deniq; de cæte-
ris omnibus tum corporis, tum animi tui peculiaribus
ornamentis addenda superioribus forent, silentio hic
sciens, prudensq; prætereo, ne insigneis eas, quæ inde ti
bi proueniunt laudes, ingenij, quod Horatius ait, culpa
nunc deteram. Vnum modo illud eximium decus ad te
diuinitus delatum, quia nõ sine graui crimine reticere-
tur, in medium proferam: Iesu Christi videlicet Euange
lium, quod errorum tenebris inuolutũ antea latitabat,
in lucem iam eductum priuatim publiceq; tua opera
inter Populos tibi subiectos prædicari: verumq; Dei
optimi Maximi cultum, qui & ipse superstitionum rude
ribus

ribus obtectus iacebat, ex abdito nunc erutum, & in antiquum statum, pristinamq́; dignitatem restitutū, enitere, vigere, efflorescere: atq; ita demum fieri, vt cælestis doctrinæ institutiones tanq̃ ab excisa, non euulsa penitus arbore denuo fruticantes, mortalibus obseruandæ, impressis etiam in hunc vsum patria lingua voluminibus, in præsentia proponantur: idq; inuitis atq; huc & illuc tergiuersantibus papisticis Præsulibus, qui per simulationem quidem Christianæ religionis, re autem vera, quò malè parta pessimè tueantur, huic sanctissimo negotio nequissimè sese opponunt. Huius igitur & syncerae pietatis, & excellentis præstantiæ tuæ, certam exploratamq́; notitiam quum rumor minimè dubius authore inprimis Magnifico Viro Domino Traiano Prouana Sacræ Regiæ Maiestatis dignissimo Secretario: nec non Celsitudinis tuæ addictissimo, ad nos etiam pertulisset, illico Nostrates quoq;, te non iniuria & suspicere, & admirari maximè cæperunt. Ego vero tibi insuper tantum meo iudicio tribuere, vt ad veritatem planè mihi persuaserim, specimen virtutis esse te, quod ab omnibus vbiq; locorum venerari coliq́; meritissimò debeat, confestimq́; exarsit animus incredibili cupiditate videndi tui, coramq́; huiuscemodi officia studiosè præstandi. Sedenim quum per ætatem iam ingrauescentem perq́; mearum fortunarum tenuitatem, me tam longo itineri, quod isthuc vsq; conficiendum erat, committere nō esset integrū, paruulam hanc pro me lucubrationem libuit ad te mittere, illamq́; ipsam humiliter nomini tuo dicare, vt hoc saltem pacto meam in te obseruantiam tibi simul & omnibus notam facerem. Qua in re mihi quidem certè dubium non est, egisse Deum destinato consilio, vt eandem lucubrationē mihi prius, qua

nunc Italia vulgo vtitur lingua, conscriptam, mox (quatenus qua de agitur materia latini sermonis puritatem admisit) latinitate donarem, vt esset hoc tempore ad manum, quo & meam aduersus te reuerentiam testificarer, & oblata huiusmodi occasione, id à te per literas peterem, quod esset omnium mihi longè exoptatissimum, vt scilicet in tuorum Clientum numero me haberi, quæ tua benignitas est, æquo animo patiare. Quod vnum si abs te, vt equidem spero nunc impetro, me inde tibi perpetuò debiturum apertè & ingenuè confitebor. Cæterum vt ne sis etiam nescius, quamobrem scriptionis hoc genus initio potissimum instituerim, breuibus hic mei consilij rationem aperiam. Quum ad conuiuium Euangelicum prolixius in præsenti, quã aliquot antè seculis à cœlesti Patrefamiliâs instructum quamplurimos Papisticarum opinionum prauitate infectos ita nauseare conspicerem, vt ne degustare quidem aliquid inde sustinerent, placuit ex ijs, quæ apud alios auctores in ipsius conuiuij commendationem diffusissimè conscripta sunt, breuissimam Epitomem colligere, quæ quasi perpetuum Acroama salibus, facetijs, & vrbanitatibus mea quidem sententia non prorsus inconcinnis asperfa, fatuos & insulsos eiusmodi delicatorum hominum gustus, quum legeretur, aliquantulum delinirent, atque animi sensus errorum acerbitate velut obstupefactos, in dulcitudinem perspectæ cognitęq; veritatis, & sensim, & suauiter alliceret: Si modo qui sationibus atque irrigationibus humanis incrementa dat Deus, adesse his conatibus præsens vellet. Hoc itaque scriptum quale id cunque est, si pro ea, quæ est in te, Christiana pietate, non fueris aspernatus,

me

me pariter non abs te reiectum, ſed in tuam fidem, & Clientelam fuiſſe receptum arbitrabor: ac pro virili parte conabor efficere, vt hominem non ingratum te recepiſſe cogno ſcas. Vale.

GEORGIVS NIGER BASSANENSIS

Ad Lectorem, De Libello.

QVicquid superstitio vetus, vana, impia,
In Religionem veram inuexerat mali
Palam fit hic: coloribusque pingitur
Suis malorum huiusmodi autor omnium
Et Architectus Antichristus, & caput.
Pietatis inde purioris integra
Reponitur forma, & pariter syncerior
Cultus Dei, salutis vnde est gratia.
Quapropter oro te benigne & candide
Lector, tibi ne sit graue hæc saltem semel
Percurrere. Hic etenim videbis, omnia
Salibus, facetijs, leporibusque ita
Conspersa, vt & delectent, & prosint simul,
Mentemque ducant ad superna ex infimis.

Eiusdem ad Libellum.

I Liber audacter, quò ferre Georgius audet
Te Niger, ac metuas pro pietate nihil.



ARGVMENTVM.



Iberum arbitrium Voluntatis ac Rationis filius, humanarumque actionum prouinciæ Princeps, per Scholasticos theologos Romam migrat: vbi papisticus à Papa Christianus, nec non etiam Rex inuictissimus factus, Bonorum operum Regno præficitur. Mox verò Actus Eliciti, sui procuratoris opera, Gratiam de congruo vxorem ducens, ex hac ipsa Gratiam de condigno progignit. Atque ita diu sua cum isthac familia in regni huius administratione felicissimè insistens, è vectigali (Meritum vocant) quod ei Regno impositum est, innumerabilem pecuniam conficit, atque amplissimas diuitias parat. Sed enim ex Ioannis Fabri Viennensis Episcopi redditis per Ecchium litteris, suorum quorundam populorum defectione audita, cū eodem Papa diligentissimè agit, vt & rebelles in ordinē redigantur, & imminentibus in posterū periculis eatur cautissimè obuiam. Verum interim dum summo hæc studio peraguntur, Gratia iustificans in orbem terrarum è cælesti domicilio demissa, Regis ceruicibus caput abscindit. Præterea latam à Iesu Christo sententiam in apertum profert, qua quidem sententia idem Christus Iesus, Papam se Antichristum esse doctrina, vita, factis, ac moribus bellè comprobantem ita damnat, vt spiritu oris Dei membratim atque articulatim interfici debeat.

PERSONÆ.

FAbius Ostiensis
Discursus Humanus REGIS Consiliarius
Diaconatus Reuerẽdissimi CLERI Procurator.
Hermes Interpres.
Felinus Obsonator.
LIBERVM ARBITRIVM REX.
Actus Elicitus REGIS Procurator.
Bertucius Tonsor.
Amonius Scriba.
Tripho Notarius.
Orbilius Famulus.
Reuerendissimus Dominus CLERVS.
Petrus Apostolus.
Paulus Apostolus.
Angelus Raphael.
Gratia Iustificans.

ACTVS PRIMI:

SCENA PRIMA.

FABIVS, DISCVRSVS, DIACONATVS,

QVod erraticis nautis euenire solet, vt ex longa nauigatione se demum reduces in portum ingredi vehementer lætentur, id mihi quoque nunc vsu venit, qui ex diutina peregrinatione quam proximè paternos lareis accesserim. Nam & sospitem me aduenisse gaudeo, & secura præteritorum incommodorum recordatione delector. Sed illud vnum præ omnibus mihi summæ voluptati nunc est, quod quum & Hierosolymis Iesu Christi sepulchrum, & alibi quamplurima pietate insignia religionis causa iam inuiserim loca, hodie vesperi tandem charissimam coniugem, dulcissimosque liberos longo iam temporis interuallo mihi non conspectos coram intuebor, complectar, dissuauiabor, ac parta laboriosis ex peregrinationibus meis cælestia bona benignè illis impertiar. Veruntamen antequam ex vrbe proficiscar, Discursum Humanum ac Diaconatum, quos inprimis & veneror, & obseruo conuenire atque alloqui certum est. Ecce autem illos opportunè prætergredienteis forum conspicor. Adibo, & quandoquidem in præsenti vacat, homines compellabo. Saluete Domini.

Fabius protactica persona.

Acti labores iucundi.

DIS. Tu quoque saluus sis optime Fabi. Quid ita quæso te petasatum conspicor? es ne fortasse abiturus hinc hodie?

FA. Abiturus omnino, & quidem intra vnam, aut

ad ſummum alteram horam. Quocirca ſi quid eſt, quod me velitis, oneris quicquid libet imponite.

DIS. Præpropera eſt hæc feſtinatio. Poterat is tuus diſceſſus, opinor, maiore tuo commodo in diem craſtinum differri.

FA. Abfui diutius quàm putaram: idcirco mihi nunc properatò eſt opus.

DIS. Si ſic tibi conſtitutum eſt, age vt lubet. Quod verò ad me attinet, nihil aliud eſt, quod abs te petam, quam vt me tuum eſſe totũ memineris. Cæterum quia grauis cuiuſdam in Germania exorti tumultus occaſione me nunc ad ſe Rex noſter accerſi iuſſit. Diaconatus & ſuo, & meo nomine quoad in vrbe commoraberis, te deducet.

FA. Haud equidem huiusmodi Deductoris me dignor honore. Sed antequam hinc abeas, dic mihi obſecro te, qui nam ſunt hi Germanici tumultus? haud ſatis auſpicatò huc me contuli.

DIS. Rex pro cõperto habet, è ſuis populis inibi nonnullos abs ſe defeciſſe, atq; itidem alios ad defectionem ſolicitare. Quod quidem facilè ingens aliquod regno periculum creare poſſet. Humanarum rerum domina Fortuna, Regem ipſum, veluti chariſſimum partũ diu fouit. Nunc autem vertere illi terga velle neſcio quo pacto iam videtur.

FA. Malè me herculè habet animum meum is nuntius. Verum in ſpe ſum fore, vt Rex ipſe potentiſſimis ſuis viribus, tuq; item prudentiſſimo tuo conſilio ſitis haud difficulter & periculum & iniuriam propulſaturi.

DIS. Rectè putas: etenim venienti quoad eius fieri

poterit

poterit occurremus morbo, curabimusq; hanc acerbitatem non esse diuturnam. Sed vt dixi, iam mihi abeundum est.

DIA. Ego Fabio nostro interim comes ero, quanquam humanioribus officijs excipiendus fuerat, quemadmodum & ipse domi suæ nos excipere quoties ipsum interuisimus, consueuit.

ACTVS PRIMI:

SCENA SECVNDA:

FABIVS, DIACONATVS.

FEre fit mi Diaconate vt fœlicitatem diuturnam turbida calamitas aliqua tandem subsequatur. Quod ijs rerum vicissitudinibus inconstans, instabilisq; fortuna sese oblectet.

DIA. Et quidem quò tardiora, eò plerunq; molestiora esse solent, quæ eueniunt infortunia. Quemadmodum Regi nostro nunc accidit. Qui quantò suauius, ac veluti quidam Samius Polycrates ab initio Regni sui hactenus vixit, tantò fortunam hoc tempore aliquãtulum reflantem, animo cadens, vehementius pertimescit, vt paulo anteq; nos conuenires Discursus noster mihi retulit.

FA. Non admodum hoc mirum uideri debet in Rege contumeliæ insueto, iniuriarumq; insolenti, quum frequenter idem priuatis quoq; hominibus contingere

 soleat

soleat. Verum enimuero quando in sermonem de hoc Rege incidimus, amabo te, nostine quo tẽpore, & quo pacto regiam Is dignitatem acceperit?

DIA. Noui omnia.

FA. Ne mihi quæso graueris indicare. Nam pergratum erit omnia hæc intelligere.

DIA. Faciam equidem ac lubens. Atenim quo planius accipiantur omnia, paucula quædam paulò altius repetenda sunt. Vnde quis fuerit status & conditio ipsius Regis anteq̃ corona donaretur, ex ordine possit intelligi.

FA. Vt libet.

DIA. Principio igitur sciendum est: Anno à Iesu Christi natali die, circiter trecentesimo Liberum Arbitrium humanarum actionum Principem inter Christianos versari cœpisse. Et licet minimè multis eo tempore, vt qui ex ethnica stirpe, aduentitiusq̃ esset, notus foret, nihilominus tamen non ità multo post per Pelagium ac Cælestiun factiosos homines adeò Christianis innotuit, vt non nemo illum etiam non inuitè reciperet. Deniq̃ verò post aliquot secula rationibus aliquantò quàm antea commodioribus per theologorum scholasticorum gymnasia, quas Vniuersitates vocant, præcipueq̃ per lumen Naturale Vniuersitatum ipsarum præstantissimum Magistrum in Romanam Curiam deductus, etiam obuijs vlnis exceptus est. Quod quidem quum animaduertissent eius Principis præcipui amatores Theologi summo cum studio Romanum Pontificem ità vrserunt, vt Is hunc ipsum & ad papisticos Christianos adiunxerit & ob ipsius egregias virtutes, potentissimasq̃ vireis, regem constitutum Bonorum operum regno

Me certe riualem non habet.

gno præfecerit, Ex quo ſanè Regno, quod opulentiſsimis prouincijs, Vrbibus florentiſsimis, alijsq́ fertiliſsimis locis refertum ſit, redituum uelut è fontibus vberrimis plus hauſit, hodieq́ haurit ipſe Rex, quã Hiſpanus Imperator Carolus ex vtroq́ orbe, quem in præſentia poſsidet. Nouas tamen eodem in regno conſtruendi fabricas Papa ſibi, ſuisq́ ſucceſsoribus ius eſſe voluit.

FAB. Memini me ſæpius audire tanq́ inuiolabile ſanctiſſimumq́ decretum iactari, eccleſiaſtica bona abalienari non poſſe. Quod ſi ſic habet, qui potuit Romanus Pontifex huiuſmodi bonis hunc regem donare? quum ipſa donatio pars q̃dam abalienationis omnino ſit?

DIA. Obſeruabis id hoc in loco mi Fabi, ne in cauſa tam facili ſemper tibi (quod aiunt) aqua hæreat, eccleſiaſtica bona non valere quidem à temporariæ priuateq́ poteſtatis hominibus alienari, At Papam, qui poteſtatis omnis omnimodam plenitudinem in ſcrinio ſui pectoris (vt ipſe loquitur) geſtat, bonorum omne genus & ſpiritualium & mundanorum ſimul, quum accipere, tum dare vt ſibi libuerit, & cui libuerit, tam cum pretio, quàm ſine pretio poſse. Quod ſi etiam accidat, (quod quidem certè quam ſępiſsimè fit) ipſum Papam aliquid existius modi bonis diuendere, neutiquam propterea ſimoniam quam vocant, committere dicendus eſt, quum nihil illi cum ſpiritu ſancto, neq́ ſpiritui ſancto cum illo commune ſit. Sed vt ad inſtitutum de Rege ſermonem reuertamur. Quum primum ſeſe Liberum Arbitrium eſſe Regem conſpexit quo firmius acquiſitum imperium noua aliqua affinitate ſtabiliret, Actus Eliciti ſui procuratoris, necnõ ſcholaſticorum Theologorum

ologorũ consilio, atq; opera cum bona quoq; Romani Pontificis venia, negocium hoc prudenter adeo pertractauit, vt Gratiam de congruo dignissimam inter papisticas omneis heroinam in manum conuentione vxorem duxerit. Ex qua mox formosissimam illam susce pit filiam, quæ Gratia de condigno appellata est: Cuius mores elegantissimos, pulcherrimasq; virtutes vsqueadeò quamplurimi admirantur, vt immortalis vitæ fælicitatem iure suo hanc ob id promereri non vereantur asserere.

FAB. Sanè quam se Romanus Pontifex prudenter gessit, quum tam eximio principi, talibusq; theologis tam honeste gratificatus est. Nam ipsius hoc pacto cũ horum viribus coniunctæ vires multo quàm prius fuerant, fortiores euasere.

DIA. In pertractandis rebus quæ ad administrandã, conseruandamq; suam ipsius faciunt monarchiam, mihi crede Romanus põtifex prudentissimus ac vigilantissimus est: nouitq; sibi magnos atq; excellenteis, quum imperio, tum litteris viros, & sceptris, & galeris, & pileis, & mitris, & sacerdotijs, & sexcentis alijs huiusmodi rebus arctissimè deuincire, quò illos deinde Romanæ sedi semper obsequentes ad eamq; defendendam promptos habeat. Et quanuis nulla vnq; extiterit in orbe monarchia, quæ radices tam profundas egerit, quæq; tanta arte & ingenio exædificata, & ad supremum maiestatis gradum perducta fuerit, quam isthanc ipsã nunc esse conspicamur, nihilo secius tamen quum neue speciosa muliere, neue imperio præpotenti quis potiri sine suspicione, & Zelotypia consueuerit, nõ immeritò Romanus Pontifex neruos omneis intẽdit, vt hanc vndiq; tutam,

cutam, atq; omnium periculorum expertem seruet. Sed vt ad id quod propositum est, redeam. Quum perop taret idem scholasticorum theologorum ordo demum Liberi Arbitrij regnum perfectè, planeq; stabiliri, tanto studio ac diligentia rem huiusmodi apud Papam agitauit, vt Is deniq; receperit, & publicis tabellis apertè sit stipulatus hunc se Regem cum sua ipsius familia tandiu in traditi regni possessione conseruaturum, quandiu papistica monarchia sit in orbe duratura. Prouentus tamē annuos nōnullarum ipsius Regni prouinciarum excepit, quod ij prius Reuerendissimo Clero eius filio, heroq; meo ascripti essent.

FAB. Quid ego audio? Papæ ergo filius est Reuerēdissimus Clerus? Hem nunquam antea isthuc sciui. Sed qualis obsecro filius? legitimusnè, an nothus? Etsi parum referre videatur, quum in tantam altitudinem conscenderit, vt prouinciarum etiam illi, & imperia, & pro uentus assignentur. Neq; est quod mireris mi Diaconate, si in his interrogandis insisto. Nam velim scias, accuratè me hac in mea peregrinatione non modo gentium, quas pertransiui mores, verum etiam Principum gentilitates, aliaq; omnia, quæ memoria mihi digna uisa sunt, annotasse, quò de his ipsis inter amicorum iucundas collocutiones aliquid postea referre possem. Qui mores hominum multorum vidit et vrbes.

DIA. De meo Hero plura etiam q̃ abs te querantur, narrare queam: Etenim eius æconomus ac velut Diocætes diu quum fuerim, tum de ipso, tum de ipsius rebus exactam tibi possum rationem reddere. Vt hinc igitur initium narrandi faciam: Quo tempore sanctissimus ac beatissimus pater pontifex romanus ecclesiæ sese caput, mundi monarcham, ac terrestrem Deum quendam con

 stituit,

ſtituit, vt aliquod huiuſce ſuæ diuinitatis ederet ſpeci-
men, hũc filium ex ſeipſo progenuit, hebreæq; cuidam
nutrici alendum atq; educandum tradidit.

FAB. Et cur non potius Chriſtianæ quæſo?

DIA. Ob id opinor, vt inter Hebraicas ceremonias
educatus puer illiſq; ad pietatem imbutus, eaſdem in
papiſticam religionem ſuo demum tempore commo-
dum transferre poſſet, vt etiam ſui patris iuſſu illum feciſ
ſe poſtea ſatis conſtat.

FAB. Mihi quidem fit veriſimile. Sed perge.

DIA. Vt primum adoleſcentiam ingreſſus eſt puer,
huic romanã Curiam, atq; adeò vniuerſum Clericatum
pater adminiſtrandum commiſit. Atq; vt facilior eſſet
adminiſtratio hunc ſuum collectitium gregem in vario-
rum graduum hierarchias diuiſit, nempe in Oſtiarios,
Cantores, Lectores, Exorciſtas, Acolutos, Subdiaco-
Dec diſt 21. per totum. nos, Diaconos, Sacerdotes, & Epiſcopos. Atq; hos qui
dem poſtremos in partes quatuor diſtinxit, nimirum
in Patriarchas, Archiepiſcopos, Metropolitanos, & E-
piſcopos. Hiſq; ipſis pmiſit, vt (ſi libeat) ſibi ſuffurane-
os (ſuffraganeos volui dictum) atq; adiutores cooptent.
Quemadmodum & ſuperiores etiam in plureis alios or
dines diſtribuit: Nonnullos enim Archidiaconos, ali-
os Archipreſbiteros, conplures Decanos, non paucos
Canonicos, multos Primicerios, quoſdam Cameræ Cle
ricos, hos Notarios, illos Protonotarios, aliquos Cubi-
cularios, permultos Equites, quoſdam Secretarios, plu-
reis Refferendarios, aliquot Scriptores, nonnullos Si-
gnatores, plurimos Breuiatores, quamplurimos Copi-
ſtas, aliquos Solicitatores, alios Adſtipulatores eſſe vo
luit, ac terrenarum huiuſmodi Hierarchiarum munera
omnia

omnia hisce bene latinis notata nominibus exequi. Postremò verò vt Curiam suam Romanus Pontifex quibusdam supræmæ ac præstantissimæ post se dignitatis, authoritatis, ac potestatis hominibus exornaret, atque Vrbis Romæ vel Parochos, vel Plebanos quos vocant in cœlum extolleret, Cardinalium ordinem superioribus adiunxit. Atque hos quidem præstantissimos viros, in Epicureę philosophię studia, voluptariasque disciplinas absque vlla intermissione incumbere voluit. Et vt cæteros philosophos virtutes quatuor Cardinales habere nempe Rapacitatem, Acharistian, Masculam venerem, & Atheoten, atque has easdem vita ipsa palam ac publicè profiteri. Ad hæc instituit, vt equos ac mulos multo auro multisque gemmis ornatos equitarent, purpureis togis ac palijs, tunicisque talaribus, & se & suas belluas conuestirent, ac rubris pileis igneas linguas in Iesu Christi discipulos, quorum ipsi vices gerunt, è cœlo lapsas referentibus, caput obtegerent. Præterea sanxit, eisdem primũ apud se locum esse, Principes orbis terrarum, suosque fratres appellari, atque eligendi creandique summum Pontificem Romanum solos per se ius & authoritatem obtinere. Sed ea tamen conditione, vt non nisi è seipsis vnum aliquem constituere possint. Alios autem omneis quouis titulo sibi inseruienteis, quod Ecclesiasticæ dignitatis, nullo caractere sint insigniti vno laicorum nomine nuncupauit. Quod quidem nomẽ reliquis quoque christianis Clericatus ordinibus minimè insertis commune pariter esse velit, quamuis eiusmodi laicos etiam mundanos ac seculares aliquando uocet: quemadmodum qui è suo Clericatu sunt, aliàs etiam Ecclesiasticos, & spiritualeis cognominat:

FAB. Næ Papæ prorsus laudanda est diligentia, qui Clericatum ipsum in hos ordines, ac veluti classeis ad euitandam confusionem tam bene digesserit, eosdemque ordines altera ex parte inter sese tanquam perpetuò nexu tam scitè coniunxerit. Verum hæc ipsa nomina, quæ Clericatus hisce gradibus imposita sunt, adeò mihi videntur insolentia, vt quid significent, minimè valeam intelligere. Peroptarim itaque omnia hæc mihi, præsertim verò quid Cardinalis nomen sibi velit, exponi, quãdo id videmus ijs esse inditum, qui vicini proximi Romano Pontifici sint.

DIA. Nullus, quod sciam, scienter magis hac in re tibi, quam Papalium Decretorum vigesima prima Distinctio satisfecerit. Nam horum nominum elegantissimam interpretationem vel è græco, si dijs placet, tibi suggeret, excepto quod nulla de Cardinalibus inibi fit mentio: ea fortasse de causa, quod quo tempore huiusmodi decretorum opus ab ipso fuit Authore compilatum, Cardinalitius ordo nondum esset institutus.

FAB. Ergo si libet, vel Cardinalis etymon mihi absolue,

DIA. Hoc solũ hac de re tibi referre potero, quod ex eruditorum hominum congressibus, atque in nostra Curia sæpius habitis sermonibus audiui. Prætermissis igitur opinationibus Guidonis Archidiaconi Bononiensis, & Zabarellæ, & Barbatij, apud barbatos hac in parte ridiculi, qui Cardinalis tam nomen, quam officium è diuinis litteris acceptum putat, vbi dicitur. DOMINI SVNT CARDINES TERRAE, ET POSVIT SVPER EOS ORBEM. Id vnũ quod à quibusdã alijs dictum est, quodque mihi magis verisimile videtur, in medium

dium proferam, ij vero sic affirmant, Cardinalis nomen è Grammaticorum figura, quæ Epenthesis vocatur, originem traxisse, quæ sanè figura tunc fit, cum in medio alicuius vnius vocabuli per se integri aliquid collocatur: vt quum Induperatorem, pro Imperatorem, proferimus, Ità etiam Cardinalem, pro carnalem, dictum volunt, quod hæc ipsa vox aures pleniore sono demulceat. Veruntamen qua de causa huic ordini Reuerendissimo tam bellum sit impositum nomen, non omnes eiusdem sententiæ sunt. Aliqui existimant Carnaleis, siue Cardinaleis, quod idem est, esse dictos ob præcipuum munus quod in Romana Curia semper exercent, sese carnalibus omnibus delicijs ac voluptatibus asòtos immergendo: alij verò quod membra Papæ digniora, velutiqꝫ caro ex eius carne sint.

FAB. Vtraqꝫ opinio mea quidem sententia, non procul abest à vero. Sed de Cardinalibus iam satis. Potes nunc à diuerticulo repetere pristinam fabulam.

DIA. Ità sanè. Quum filium suum Romanus Pontifex tam bene digesto Clericatui præfecisset, non contentus hac illum dignitate cohonestasse, sacramentariam quoqꝫ prouinciam, quæ septem amplissimas Vrbes continet, administrandam eidem concredidit. Atqꝫ harum Vrbium vnam, quæ sacer ordo nuncupatur, hunc ipsum incolere uoluit. Porrò autem vt omnia studiosius ac diligentius in hac ipsa Prouincia curarētur, instituit vt Opus Operatū inter papisticos heroēs omnium facile primas ferens hanc eandem dies atqꝫ nocteis circumiret, Dei gratiam sua virtute illis omnibus administrans, qui in Vrbeis ipsius Prouinciæ commigrantes capitalis criminis obicem ad eam recipiendam

non ponerent. Præterea non abnuit eundem suum filium non Ecclesiasticarum modo, sed etiam mundanarum dignitatum titulis insignem fieri: propterea quod ecclesiasticorum munerum nomina nimium vilia per se sint. Insuper ordinauit, vt idem filius ad Ecclesiasticam potestatem ciuilem quoq;, quod brachium seculare vocant, adiungeret, quo se multò tutius aduersum quorumlibet infestationes & iniurias, tanquam sub Aiacis clypeo, defendere valeret. Ad hæc Officiorum Sacerdotiorum, Præbendarum, Pensionum, atq; aliorũ sua in Monarchia existentium bonorum quam maximũ numerum addito tempore huic suo filio assignauit: Bonorumq; operum regni bonam prouentuum partem ac nonnullarum separatim eius regni prouinciarum, quæ cum Sacramentaria commercium habent adiunxit; quo ex infinitis fermè, qui inde exiguntur thesauris, Clericatui suo non solũ pompis omnibus fastuosam & superbam, verum Sybariticis quoq; delicijs, ac Sardanapalico luxu profusam perditamq; vitam, suæq; ipsius omnino similem viuendi fieret copia; ijsdemq; dignitatibus & eadem gloria, qua Proc ees Imperatoris rebus in omnibus excelleret, atq; ità demum in Papæ authoritate mollissimè conquiesceret.

Heliogabali. atque Sidonii Stratonis mollicìem superant Papae cũ suis. Dis. 96. cap. constantinus.

F A. Scrupuli non nihil iniecit in animũ meum, tuus hic sermo postremus. Nam si Reuerendissimus Clerus tot ac tantis & diuitijs abundat, & delicijs refertus est, & luxuria diffluit, qui stabit obsecrò id, quod recitari è papisticorum Decretorum volumine frequenter audiuis? nimirum eundem Reuerendissimum Clerum, neq; aurum, neq; argentum, nec possessiones nec variam supellectilem possidere, sed victu & vesti-

Cau. 12. Quest pa. Cap. Clericus. Et cap. cui porcio. Et cap. Duo sunt.

tu contentum nudam crucem, nudum sequi debere? Praeterea si sic in otio vitam & confertam & plenam voluptatibus ac nequitia degere vitio datur hominibus, vt iure optimo sane datur, quomodo hic se res habebit mi Diaconate? Num Reuere? Clerus per se suis autor erit, vt intemperanter, flagitiose, ac turpiter viuant?

DIA. Nequaquam mi Fabi. Sed audi si libet, nescio quid, quod verã loci huius intelligentiam tibi enudabit. Qui veteres olim Canones è Republica Christiana esse aut aliquid ad eam facere videbantur, deleti nunc & abrogati iam sunt. Id autem eo factũ est, quia ipse Papa, qui nullis subiectus est legibus, impensissimè praecipit, vt ad Cãcellariae suae regularum praescriptum, & prout pectorali suae reseruationi, proprioque motui, ac scientiae & suae potestatis plenitudini (suis ipsius verbis vtor) libitum est, nunc omnes viuant. Quod sane in causa est, vt Canones quibus non conuenit cum ipsius arbitrio, non etiam sint, vt qui nullam efficientiam habeant, in praesentia obseruandi. Quod vero ad vitia pertinet, sic respondeo. Quae abs te numerata sunt superius vitia, vitia quidem & peccata esse posse, at in vobis tantum, qui mundani & seculares estis, non autem in nobis, qui spirituales & Ecclesiastici sumus Propterea quod sanctissimus Papa, sanctissima sua sanctitate clericatum suum ita sanctificat, ut nullum vitium, atque adeò nullum scelus contaminare hunc valeat.

FA. Optime mihi factum est satis hac in parte. Iam quod reliquum est expedi.

DIA. Nihil aliud est reliquum, nisi vt primae nunc tuae petitioni respondeam, videlicet, ãn Reuerendissimus Clerus papae sit legitimus filius an ne nothus. Ad

haec

hæc itaq; sic habeto. Sicuti quum Papa negotij sui benè admodum gerens terrestre quoddam sese numen effecit, in longe diuersam á suis Præcessoribus naturam seipsum transmutauit: itá etiam per idem tempus é suo capite veluti Mineruam Iupiter, hunc suum filium procreauit: atq; illud ingenium, illamq; naturam, quam nunc habet, contribuit. Quamobrem animaduertere potes eum neq; legitimum, neq; nothum aptè congruenterq; posse dici. Non legitimum sanè, quia qui hunc progenuit sanctissimus pater vxorem habere non poterat: non nothum autem, quia summus pontifex cum meretrice rem habere dedignaretur omnino, licet cum mollissimo aliquo Ganymede non item.

FA. Dilucidè, copiose, ac luculenter omnia explicuisti. Iam instat hora, vt ad tyberinã ripam me conferam, ne nauis inde abeat me hic relicto. Bene igitur vale mi Diaconate.

DIA. Et tu mi Fabi. Perlongam hic moram traxi: Vereor ne hospites qui cum Hero sunt pransi, iam discesserint. Hinc percunctabor. Sed eccum Hermetem ex ædibus exire video, ex ipso quid actum sit sciam.

ACTVS PRIMI

SCENA TERTIA.

HERMES, DIACONATVS.

QVò magis pulcherrimam collocutionem à Theologis in prandio habitam mecum reputo, eò mihi sto-

hi stomachum magis mouent heretici quidam recentiores qui ter maximi Pontificis Romani dicto minime audientes esse volunt. Quod si horum aliquis interfuisset conuiuio, suos errores potuisset, opinor, haud difficulter agnoscere

DIA. Pertedet profectò me non interuenisse. Verum vel breuem summam eorum mihi sermonum referri per Hermetem curabo. Salue mi Herme.

HER. Salue tu quoque Diaconate. Non animaduerteram te adesse.

DIA. Abierene ex aula Theologi?

HER. Nunc primum in Datarij sese ædeis contulerunt, vt recipiant diplomata, quas Bullas vocant, ex quibus tanque ex edicto in Sacerdotiorũ possesionem veniãt, quæ plurima beatissimus Pater ob Romanæ sedis apostaticam (Apostolicam volui dicere) dignitatem & autoritatem strenuè conseruatam illis contulit.

DIA. Rectè quidem. Verum dic mihi obsecro quale prandium habuistis hodie?

HER. Lautissimum, instructissimum, tuoque prorsus Hero me hercule dignissimum.

DIA. Quibus verò de rebus homines tam excellentes inter prandendum simul sunt collocuti?

HER Conuiuium ad multas horas, vario sermone produxerunt, potissimum autem de Papæ potestate, ac de Liberi Arbitrij Regis viribus contra huius temporis hæreticos egregiè disputatum est.

DIA. Bella equidem materies vtraque. Sedenim quid præcipuè his de rebus inter se contulerint, ni tibi molestum foret, mihi referri percuperem.

HER. Tantum abest, vt id mihi graue futurum sit,

vt lubens etiam tibi ſim hac in parte obſecuturus. Veruntamen opus erit hæc ipſa breui percurrere. Nam cum & interprete & curatore tranſalpini theologi me vtantur, necesſe habeo quædam ipſorū explicare nunc, expedireq́ negotia, quo liberius cras multò manè hinc vt cogitant proficiſci queant. Quin & ij dem ipſi, quum ſuas a Datario bullas receperint, eadem de cauſa veniam abeundi a ſanctiſsimo Domino noſtro petituri hodie per ſe ſunt.

DIA. Per me licet, qua tibi libet id breuitate nunc præſtes. Verum anteq́ ipſam narrationem inchoes, quot epulis quæſo accubuere conuiuæ? Non potui prandentibus vobis adeſſe, vt volueram, quod oportue rit me quoq́ aliquot Heri mei negocia cum Chriſoſto mo Quæſtore tranſigere. Poſtea verò Fabius Oſtienſis meus familiaris ac neceſſarius mihi obuiam factus, deti nuit hactenus me ſermone benè longo.

Septem conuiuium. Nonem conuitium.

HER. Diſcubuerunt Herus tuus, Ecchius, Pelargus, Cocleus, Emſerus, Theologi ſorbonenſes duo, Ambroſius Catarinus, & Cornelius Placentinus monachi. Atq́ ij omnes me pariter aſsidere voluerunt.

DIA. Elegantem mihi conſeſſorum ſocietatem narras. Sed iam ad colloquium.

Diſtin. 19. cap. Ita Dn̄us. Et diſt. 21. cap. in Nouo. et cap. Sancta. et diſt. 22. cap. omnes. et cap. ſacroſancta et in cōcilio Arelatenſi.

HER. Collocutio ipſa propemodum ſic habuit. Amotis primis ferculis, de Papæ poteſtate ſermo ab ipſis Theologis in hanc ſententiam inſtitutus eſt. Quan doquidem (inquiebant) Romanus Pontifex vniuerſalis eccleſiæ caput, magiſter, & paſtor à Ieſu Chriſto conſtitu tus eſt, & omnium legum, omniſq́ iuſtitiæ fons effectus, ac cæleſtis regni claueis, & vtriuſq́ imperij, ac vtriuſq́ gladij iura ſimul ab eodem accepit, vt è diuinis literis, è ſanctis

ſanctis concilijs, atq; è ſacris Canonibus apertiſsimè, & planiſsimè conſtat, omnem ſine dubio ligandi ac ſoluendi, aperiendi & claudendi quicquid libuerit poteſtatem habet. In omnia tam generaliter vndiq;, quam ex aliqua prouincia ſigillatim congregata concilia id iuris illi eſt, vt neue colligi, neue collecta decernere aliquid, niſi vt eidem placuerit queant. Nouos fidei articulos componendo, Decreta, Decretalia, Canones, Sextos, Clementinas, Extrauagãtes, Declaratorias, atq; alias id genus leges ac pſephiſmata condendi autoritatem obtinet. Quæ ſanè inſtitutiones haud ſecus q; diuina præcepta, ſummos, medios, infimos ſibi obuinctos atq; obnoxios teneant: propterea quod ęqualis cum Euangelio ſint, & authoritatis & ponderis. Etenim tranſlato ab Aarone in Chriſtum, & á Chriſto in Papã ſacerdotio, neceſſe eſt etiam condendarum legum authoritatem in eundem, tanquam in architectum eſſe tranſlatam, quod quidem in illo iubendi poteſtatem, in alijs verò neceſsitatem obtemperandi conſtituit: quoniam quod ſemel à Papa ſancitum eſt, id infringere nemini vni conceditur, nulliq; aut hominum aut angelorum ſententiam ipſius reuocare fas eſt. Poteſtatem itidem habet idem Papa comprobandi, exponendi, interpretandiq; diuina ſcripta ſuo arbitratu, nec alicui permittitur vel latum vnguem ab eius interpratatione diſcedere, quum ipſe ſolus fidei magiſter, & regula cunctis propoſitus errare non valeat. Quo circa nec alterius cuiuſquam expoſitio, ſiue interpretatio aut poteſt, aut debet cenſeri bona, niſi quatenus ab hoc ipſo, vt ſuis legibus minime contraria comprobetur, aut ſaltem (quia plerunq; maioris q; quæ ad religionem pertinent

Diſt. 17. Cap. Synodum.

Diſt. 19. Cap. Sic omnes Et cap. Nulli fas. Diſt. 20. Cap. de libellis:

In Decretali. De conſtitutionibus. et Diſt. 21: ca. Quãuis.

Cauſa 17. queſt 4. cap. Memini.

momenti res ille curat) per sacri palatij Magistrum confirmetur. Is autem Dominicanus monachus cum sit, & Thomisticę doctrinæ peritissimus, diuina scripta persci enter explanare, & quæ ad Romanæ sedis fidem spectant, è Thomistarum placitis eleganter, decernere consueuit. Insuper ipsi Papæ potestas est, interdicendi, execrandi, excommunicandi, anathematizandi, & fulminandi, vt ipse loquitur, tam sibi quacunque de causa infensos hosteis, quam eos omneis, qui contumaciter aut suis aut suorum Ministrorum iussis, quæcunque illa, & quicunque illi, siue Reges, siue Imperatores fuerint, obedire atque obsequi renuant. In ipsius est præterea potestate, peccata vel omnia simul, vel diuisim aliqua, aut per se aut per suos administros confictis Bullis & condonationibus remittere, & id quidem non tantum viuis, verum etiam ijs qui vita functi supplicia in Purgatorio loco perpeciantur, modo adsit interposita pecunia. In eius est item manu omnis generis vota facta commutare, aut veluti vindicias secundum libertatem vouentibus dare. Iuratos à quouis etiam sanctissimo iureiurando absoluere, & affinitatum consanguinitatumque gradus, matrimonia, vel contracta, vel contrahenda (vt scholastici theologi garriunt) impedienteis abrumpere, vt è re nostra, suaque multò magis ac suorum esse cognouerit.

Causa. 15. Quest. 6. cap. Juratos. et in Extrauagā. de voto et voti redemptione: per totum.

DIA. Aequum videtur, ipsum Papam, quemadmodum votorum atque aliorum, quæ hactenus recensuisti impedimentorum & autor est, & approbator, ita posse hæc omnia suo arbitratu, atque vt ex vsu sibi est etiam amouere.

HER. Non iniuria sanè. Sed vt ad nostros theologos

gos reuertamur. Commostrarunt ij etiam, præter iam dicta Papam efficere posse, vt ne diuinis omnino legibus teneamur, modo suis ipsius vel inuiti obtemperemus. Quæ omnia nisi quis ex animo credat, in peste ipsa, pestiferam magis hæresim incurrat necesse est. Nam licet multa sint, quæ nisi credantur, hominem hæreticum faciant, nihilominus tria potissimum existunt, quæ ipsum hereticissimum, vt ita dicam, constituũt, quorum quidem primum hoc est, sibi non persuadere Papam Ecclesiæ militantis, quam appellant, esse caput cum authoritate et potestate quicquid libeat faciendi. Alterũ in Romanæ sedis ac summi pontificatus detrimentũ vulgo seminare damnosas opiniones. Tertium verò est, diuina scripta populis aliter ac Papa interpretatur, exposita proponere, ob eam videlicet causam, quod sacre litteræ, atq; ipsarum explanatio nihil authoritatis habeant, nisi ad Papisticæ comprobationis calculum reuocentur: propterea quod ipse Papa & verbo Dei & sacramentis, quæ vocant, addere, ac de illis imminuere, vt libitum sibi fuerit potest. Etenim quum Iesus Christus ex hoc mundo celerius abierit, quam vt omnia quæ ad Ecclesię suę gubernationem pertinent, exactè satis ordinare potuerit, in eius locum suffectus Papa hæc ipsa munera sibi conficienda suo iure suscepit.

Dist. 54. cap. lector in Glosa. Et dist. 82. cap presbiter. Et cõcilium Constãtien. xiij. sessiõe decernit. Quod licet Christus suis discipulis administrauerit sub vtraque specie panis et vini sacramentum tamen hoc non obstante. a laicis tantũmodo sub spetie panis suscipiatur.

DIA. O sententias, appellare sic liceat, irrefragabiles. Et quis nam obsecro induceret animum contra hæc dicere? Non igitur mirum est, ægrè tulisse Papam, quod Carolus Cæsar suum illud INTERIM composuerit, ac falcem in alienam messem (quod aiunt) immiserit. Quanquam ipse Cæsar, vt multis licet assequi coniecturis non nisi bona intentione tentarit. Nam

quum uideret Papæ pudenda obscęnaq; orbi iam esse nostra tempestate retecta, melius nihil in pessimis illi fuit, quam hoc ipso INTERIM, veluti quodam subligaculo eadem illa contegere. Eant itaq; iam nunc & Caluinus, & Melãcthon, atq; INTER M hinc quantum libeat, obloquuantur.

HER. Recenserem tibi sumpta diuinis ex literis loca, quibus ipsi Theologi sua hæc omnia comprobarunt, nisi vererer, ne mihi esset hic diutius immorandũ. Cæterum quanuis ab eisdem adductæ sententię sint, vt recte dicis, irrefragabiles, attamen non desunt hæretici, qui contrauenire audeant: Quemadmodum mihi non ita pridem Ecchius ipse retulit. Verum alias hac de re, quum sese magis appositum tempus ad dicendũ obtulerit, colloquemur. Id vnum modo mihi nunc addendum videtur, quod ipsi Theologi demum planissime ostenderunt, nempe sũmum Pontificem Romanum terrestrem quendam esse deum, non quidem aut Satyrum, aut Faunum, aut Syluanum, vt antiquorum hominum vana superstitio sibi de suis persuaserat Dijs Sed quoddam supremum numen, quod & Iouis & Veiouis instar manibus ferre fulmina consueuit, quodq; in se diuinum arbitrium seruans, super omnes in vniuersum res creatas ius, ac potestatem obtinet: atque adeo inquam obtinet, vt ex æquo, iniquum, è vero, falsum, è bono, malum, deniq; ex aliquo, nihil, & è conuerso illi sit fas efficere, suoq; arbitratu rerum omnium naturas inuertere ac immutare: Nec alicui licet eum interrogare cur ita faciat, etiam si myriades animarum secum in pernitiem traheret: quum huic vni sit pro ratione voluntas.

In cap. Quanto. de Translat. Episco. Lit 7. in Glosa.

Dia

DIA. Libentiſsimè audirẽ quo pacto Theologi postremã hanc aſſertionẽ demonſtrauerint. Nam ea eſt, quę facilè aduerſariorũ noſtrorũ ora poſsit occludere.

HER. Id quoq; paucis verbis expediam. Principio illud ob occulos poſuere, Vicariam functionem, in qua hodie Papa Ieſu Chriſto ſuccedit, ab ea longè differre in qua illi olim ſucceſsit Apoſtolus Petrus, quandoquidem Petrus ipſe talis Chriſti Vicarius extitit, qualis dũ hîc adhuc viueret, Chriſtus extiterat Princeps, nimirũ pauper, humilis, contemptus, abiectusq;: miſerijs porrò atq; ærumnis omnibus ita oppreſſus, vt per ſæuiſsimã etiam tormenta mortem ſubire noſtra cauſa cruci ſuffixus non abnuerit. Sedenim Papa ipſe talem in præſentia Chriſti Vicarium agit, qualem in cœlis nunc agere Principem Chriſtum nouimus, nempe ditiſsimum, fœliciſsimum, ſanctiſsimum, beatiſsimum, triumphis ornatiſsimum, denique etiam potentiſsimum, vt qui à patre poteſtatem prorſus omnem acceperit. Quod quidem in cauſa eſt, vt idem Papa non minus in terra ſe Deum haberi velit, quam in cœlo Chriſtus ipſe ſit Deus, quẽadmodum latis legibus, ſancito ſacerdotio, ſtatis cæremonijs, & ſacrificijs, cultibusque terreſtri ſuæ diuinitati conuenientibus, ritè conſtitutis luce clarius orbi commonſtrat, ac proteſtatur. Numen igitur terreſtre quum ſit Papa, non iniuria terræ totius Imperium ſibi aſſcribit, pedem in orbe nullum eſſe ſibi non ſubiectum aſſerit: mundi caput, & Monarcharum omnium Monarcham non immeritò ſeſe facit, cui vni liceat omnibus etiam Angelis, nedum hominibus imperare. Orbis imperia regnaq; omnia, vtq; ſui ſint iuris diſtribuere: Cęſares, alioſq; Principes per orbem dicere

Clemens Romanus Pōtifex olim angelis imperauit vt animam cuiusdam peregrini in itinere

nere: dum Iubilei causa Romã peteret: vita functi e Purgatorio liberatũ in coelum transferrent: vt in ipsius Pontificis Bulla plumbo munita etiam nunc videre licet Viennae Pannonicae.

cere, vel etiam dictos, loco, prout vult, amouere. Deniq; nihil vsquam est, quod non necesse sit, esse subiectum Papæ. Id quod etiam Iulius eius nominis tertius Pontifex Romanus argento publicè signato palam indicat. Nam numisma nuper ædidit, in cuius altera parte, suam ipsius viuam effigiem exprimi, in altera vero Iesaiæ prophetæ verba hæc, GENS ET REGNVM QVOD NON SERVIERIT TIBI PERIBIT, appositè huc deflexa imprimi iussit. Quanquam ipsum Papam legitimum esse mundi dominum vel ex eo item sermone cognosci potest, quem ad Pilatum habuit Christus, Regnum, inquiens, meum huius mundi non est, quo nihil aliud significare voluit quam se recusare mundi regnum, vt illud Papæ tanquã Vicario possidendum relinqueret: Et licet Vicaria hæc Papæ functio Petri (vt iam diximus) functioni minime similis sit, non tamen is propterea Petrinos piscatoris titulos deserere voluit, quo sub hac nominum simplicitate, seq;, suaq; omnia commodius obtegat, & rebus clarissimis tenebras obducat.

Scilicet vel hinc agnosci potest Papam esse seruum seruorum Dei.

DIA. O quam non sine maximo fructu Philosophorum disciplinæ à nostris theologis assiduè pertractantur. Quis enim obsecro tot ac tam bellis consecutionibus terrestrem Papæ deitatem comprobare potuisset, nisi totum semel Aristotelem combibisset?

HER. Sanè hercle vt dicis mi Diaconate: Sed vt institutam orationem prosequamur, ijs quæ iam dicta sunt, addidere Theologi, Romanos Cæsares terrestrem hanc diuinitatem in Papa, conspicatos cum illo, cumq; illius filio Reuerendissimo Clero suas pompas, suos honores, suas dignitates, suam gloriam, sua ornamenta, deniq;

Dist. 96. Cap. Constantinus. Et cap: si Imperator.

denicꝫ publicam omnem suam magnificentiam communicasse, adeò vt prętextam togam, regale sceptrum, aureum diadema præciosis gemmis ornatum sibi assumpserit Papa, atcꝫ insuper ordinarit vt quoties equitandum sibi sit, si Cæsarem adesse contingat, is offitio stratoris fungens, equi in quo insidet ipse Papa, frenum dirigat. Ad hæc voluit, vt Reuerēdissimus Clerus eodem potentiæ atcꝫ excellentiæ singularis culmine, quo Consules, quo Senatores, quo Pātritij, quo simul etiam Imperatoria militia excolitur (vt ipsius verbis vtar) venustissimè exornetur. Deinde quò luce palam conspici posset, Pontificiam dignitatem haud aliter Cæsaream, quàm solem ipsum lunam superare, idem Pontifex triplici Coronarum compositum ac lemniscatum Diadema capiti suo imposuit, atcꝫ id mundi regnum appellari iussit, vt videlicet cunctis trium se terræ partium Asiæ, Africæ, & Europæ, verum esse dominum significantius indicaret.

In cap. De maioritate et obedientia: In extrava: cap. super gentes.

DIA. Si tres illæ coronæ trium terræ partium ditionem commonstrant, quum nostra memoria inuentus nouus ille mundus, quem vocant, quartam constituat orbis partem, fortasse non abs re foret, & quartam quoque coronam diademati suo adderet Papa.

HER. Concinne id fieri poterat. Si tres illæ coronæ nihil aliud quam quod dictum iam est, demonstrarent, Sed alteram hac longè præstantiorem significationem habent: Nam imperium ac potestatem notant, quam in cœlo, in terra, & apud inferos Pontifex Romanus exercet. Verum vt ad propositum reuertamur. Ex ijs quæ hactenus recensui, tandem hoc Theologi nostri deduxere, quod cum legitimus mundi dominus sit Pa

pa, ſic licet illi, prout libet, mundana temporariaq; imperia diſtribuere, vt ij demum verè Principes aut Imperatores habendi ſint, quos ipſe iuſſerit imperare, aut ab alijs iuſſos, confirmauerit. Atq; è contrario quibus ipſe dominationem ademerit, ijs iure ademptam eſſe conſtet. Quin etiam quum in imperijs ac principatibus ad interregnum res deuenit, ipſe inibi ſucceſſor interea ſit, dum in quos voluerit, eadē poſtea transferantur. Quò fit vt omnes Principes ità conſtituti quoties ad Romanum Pontificem accedant, genibus terrā contingere, beatiſsimos eius pedes exoſculari, atq; ipſū adorare ipſius legibus teneantur: quemadmodum Conſtantino Papæ huius nominis primo Iuſtinianus Imperator olim Conſtantinopoli fecit, atq; huiuſce laudatiſſimi moris autor extitit. Quanquam alij potius velint, ipſum Papam exhibendorum ſibi iſtiuſmodi officiorum conſuetudinem à priſcis Perſarum Regibus accepiſſe. Populares verò quandocunq; ille venit in conſpectum, niſi ſummittant genua, ab eius ipſius Anteambulonibus ità vapulant, vt compellantur id efficere velint, nolint. Porrò qui ab Romano Pontifice quoquo modo conſtituuntur Principes, ad hoc etiam qui in Gymnaſijs Doctoratus, quem vocant accipiunt inſignia iuriſiurandi Religione ad fidem illi ſeruandam obſtringuntur, non tantum vt Romanæ ſedi nulla vnquā in re ſint volentes aut ſcientes incommodaturi: Sed vt præſentes potius illi ſemper ſint pro viribus affuturi, eamq; quum ab hæreticis, tum ab alijs omne genus aduerſarijs atq; hoſtibus defenſuri. Id quod illis quidem cum Epiſcopis ab eodem ordinatis commune eſt. Tū præterea quia cunctis vbiuis gentium iudicibus, Siue Reges, ſiue Cæſares ſint, ſic iudex præpoſitus eſt Papa,

Cle. Rub: de ſententia et re iudicata. cap. paſtoralis. Decretal. De Priuileg. Cler. cap: Quū olim Cle. De ſent. excom. cap. Si ſummus Pontifex.

Cle. cap ſignificaſti iuriſiurandi huius formula eſt in Decretal: De iureiurando. cap. Ego.

Dec. cauſa 2. Queſt. 6. Cap: ad Romanam. Et Cauſa 9. Queſt. 3. Cap.

vtã nemine iudicari ipse posit, iure ac meritò quilibet potest, ac debet, ad ipsius tribunal accedere, & quanuis ob causam appellare Romanam Rotam, vbi non minus quam Ixion apud inferos diu sit cruciandus ac torquendus. Atq; id ob eam sanè rem vt emolumentũ ac lucrũ omne ex exteris quoq; causis ac litibus promanans, in Romanæ Curię Ministros, ac satellites deriuetur. Cæterum quod ad spiritualis, vt nuncupant, iuris administrationem attinet, ipse Papa, ne summa illa sua papalis dignitas humili hac exercitatione vilis esset, eius tractandi munus Episcopis, Suffraganeis, Coadiutoribus, Vicarijs, atq; alijs huiusmodi suis ministris assignauit, ad quorum tribunalia Spiritualium, quas nominant, quum tamen mundanissimæ sint, rerum lites, contractaq; in forma cameræ, vt eorum verba habent, negotia, nec non eorum qui quod ob pauperiem soluendo non sint ex Ecclesia expelluntur, causæ & agitantur, & transigun tur, vt ex hac etiam parte suis quæstum adaugeat. Insuper Pontifici Romano ius est annatas, decimas, pallia, subsidia, quæ ipse vocat, item vectigalia, tributa, portoria, atq; alias cuiusuis generis exactiones arbitratu suo regionibus ac populis omnibus imponere. Rursus illi ius est vendere, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Prioratus, Præposituras, Canonicatus, Cænobia, Auditorias, Clericatus, Cameræ, Equestreis Ordines aliaq; id genus officia ac benefitia, Suffraganias, Administrationes, Coadiutorias, Commendas, Præbendas, Pensiones, Resignatiões, Vniones, Incorporationes, Annexiones, Reseruationes, Pectorales, & non pectorales, Regressus, Renũciationes, Vacantias, Cõmutationes, Spectatiuas, Motus proprios, Dispensationes, Bullas, Indulta, Confes

Nemo. et Cap. Aliorum. Et cap. ..uncta per mundũ. Et causa. 17. Quaest. 4. cap. Nemini.

Decretal. Tit De Decimis: Prouinciis: et Oblationibus. cap. Nõ est. Et cap. Trãsmissa. Et cap. a nobis Et cap. Pastoralis.

Papæ Romanensiũq; curialium Mercaturæ.

ſionalia, Indulgentias, Gratias, Iubilea, Priuilegia, Bre‐
ueis, Licentias, Immunitates, Exemptiones, Caſus reſer‐
uatos, Interdicta, Correctiones, Suſpenſiones, Irregulari
tates, Aggrauationes, Regrauationes, Depoſitiones,
Fulminationes, Excommunicationes, Anathematiſati‐
ones, Maledictiones, & ſexcentas alias eiuſmodi res
vel ipſis Barbaris, obſoletiſq; nominibus portentoſas,
Ius inquam eſt illi & per ſe, & per ſuos adminiſtros hęc
omnia tam viuis, q̄ vita functis, tam dignis, quam indi‐
gnis ad ſuum arbitrium libidinemq; diuendere, atq; im‐
menſos innumerabilium hinc pecuniarum aceruos cor‐

Datbus bonorum Laureoticas noctuas huc affert.

radere, quos deinde in pios uſus eroget & impendat:
vtpote in diui Petri conſtruenda per ſpetiem fabrica,
in apparandis contra Turcas fictis bellis, veris autem
contra Chriſtianos, ad patrimonium Eccleſiæ conſer‐
uandum, gerendis: in ſuis tum conſãguineis, tum neces
ſarijs & ditandis, & extollendis: deniq; in corrumpen‐
dis ſecreto Principibus, ac mutuis inter illos ſimultati‐
bus ſerendis, vt aliorum diſcordiæ ſui Regni ſtabilimen

Sex. Rub: de Immunit. ecсles. cap. Clericis. et cap. quia Nonnulli.

tum ſit. Non minus ex altera parte ius eſt Papæ Re‐
uerendiſsimum Clerum, ac gentem illi ſubiectam nec
non Monachatenſeis populos immunitatibus quibuſ‐
dam non ſolum ex mundanis, alijſq; oneribus eximere,
verumetiam de Principum ac Magiſtratuum, Ciuili‐
umq; legum obedientia ſubducere, quo illis impunē li‐
ceat prout libet luxurioſe ac ſcelerate viuere: vt pote

Dec. Cau. 17. Queſt. 4. cap. ſi quis ſuadēte. Et ſex. Rub. de pœnis cap. felicis recordationis.

quibus nihil à mūdano Magiſtratu timendum ſit: quan
doquidem in execrandorum numero ſint habendi,
qui Papæ chriſtos attingere audeant. Atq; ita flagitio‐
rum impunitate conceſſa, promiſcuam improborum ho
minum colluuiem perfacilè nulloq; negocio ſibi conci‐

liat. Postremò ijdem Theologi, vt rem semel, quæ pariter omnia complecteretur in medium afferrent, argumentis etiam, demonstrationibus ac rationibus Mathematicis euidentioribus necessariò comprobarunt, Papam ipsum per seipsum posse omnia (absit inuidia verbo) omnia inquam, & quædam alia simul, non in hoc mundo solum, sed in Democriti quoque innumerabilibus mundis. Quæ sanè potentia facit, vt Is meritò timeatur, colatur, & adoretur ab omnibus, eiusq; seu iussa, seu vetita vel vi seruentur: nemoq; omnium mortalium omnino sit, qui seueritatem ac sæuitiam ipsius, in delinquenteis placare, nisi Regina pecunia possit. Nam quum summo hæc opere tanquam eius ipsius charissima nutrix illi cordi sit, ab eo quicquid vult, impetrare facillime potest. Verũ hæc de Papa iam satis. Dist. Nullesima Cap. non Creatis.

DIA. Non itaq; mirum est portas Inferorum non valere aduersus potentiam Papæ, quum ea sit & diuina & infinita. Sed enim de Libero Arbitrio Rege quid obsecro ab ipsis Theologis dictum est?

HER. Nihil non maximum: præsertim verò de ipsius quum origine, tum potentia & viribus.

DIA. Hæc equidem ad ea, quæ iam dicta sunt, mihi referri percuperem, ni vererer ne tibi nimium distento non vacaret in præsens.

HER. Quando mihi prouinciam hanc desumpsi, vt quæ in hodierni diei conuiuio narrata sunt, vel ex parte saltem tibi renarrem, conabor hîc etiam non deesse, attamen quam breuissimè potero, quod mihi iam omnino abeundum sit. Quod igitur ad Liberi Arbitrij Regis originem spectat, planum fecere Theologi nostri. Regem ipsum in terrestri, quem vocant, paradiso, Origo et Vires Liberi Arbitrii.

quo tempore Adamus atq; Heua primum à Deo creati sunt, exortum esse: atq; eius originem non minus quã ipsius Adami atq; Heue insolentem, ac mirabilem extitisse, licet non illi prorsus & ijs eadem fuerit. Nihilominus queãdmodum Adamus absq; tam patris quam matris adminiculo est natus. Heua verò ex patre solum sine matris opera est genita, Sic & Liberum Arbitrium duabus ex matribus tantum absq; patre in lucem est editus. Quarum quidem matrum altera Voluntas, altera est Ratio appellata. Porrò filium hunc mater Voluntas, Liberum, mater autem, Ratio, Arbitrium, nominauerat. Sed postea deinceps duobus hisce nominibus in vnum collectis isthunc ipsum mortales Liberum Arbitrium appellauere. Quum verò non ita multò post, Is è terrestri Paradiso vnà cum Adamo atq; Heua fuisset expulsus, illicò quarundam amplissimarum regionum, quæ humanæ actiones nuncupantur, Dux à sapientissimis viris est factus, quibus quidem regionibus etiam nunc eum præsidere pro comperto est. Verum qua ratione sibi secundum ea Bonorum operum fœlicissimum regnum compararit, nihil opus est hîc recensere, tum quia hoc in loco nimium id longum foret, tũ quia te per teipsum hoc idem cognitum habere non dubitem. Ergo ad ea quæ de ipsius & potentia & viribus dicta sunt, deueniam. Hîc verò subtilissimis, acutissimisq; argumentationibus demonstratum est, Liberum Arbitrium Regem suapte vi seipsum posse mouere prorsus, & excutere, vt velit, eligat, ac faciat quicquid libeat, posse & peccare & non peccare, vt illi magis collubitum sit, posse suo Marte cœlum multo facilius conscendere, quam qui Babilonicam turrim exædificarunt,

Ethicorũ. 3.

aut qui monteis montibus imponentes, viam sibi facere ad pellendum è cœlo Iouem affectauere. Nam horum neutri, licet numero potentiaq; excelleret, quod optabant, assequi potuerunt. At Liberum Arbitrium parua suorũ manu, nempe Actu Elicito rerum suarum procuratore, Gratia de Congruo Vxore, & Gratia de Condigno Filia stipatum, adhibitis vnâ prouentibus ex Vectigali, quod Meritum vocant, collectis, Adimplens diuina præcepta quantum ad substantiam facti, licet quantum ad intentionem præcipientis non adimpleat, cælum ipsum facillimè sibi parat, atq; etiam, qua est benignitate, hoc idem alijs omnibus largitur, qui nõ ponentes obicem peccati mortalis, faciunt quod in se est (agnoscis, arbitror scholasticæ Theologiæ verba) vt illud idem acquirant. Quod vt firmius constabilirent, Augustini sententiam subiunxerunt itâ inquientis: Qui creauit te, sine te, non iustificat te, sine te, hoc est sine Libero Arbitrio Rege: videlicet illi sic exposuere.

DIA. Facile id patior, Veruntamen inter Augustini vetusta volumina manu scripta, quæ in Vaticana Bibliotheca seruantur memini me aliâs hunc locum legere. Interrogationis nanq; nota ad finem erat apposita, in hunc fermè modum. Qui creauit te sine te non iustificat te sine te? Quasi vellet ingenij nostri tarditatem hac interrogatiuncula vrgere, atq; itâ dicere, Is qui potuit creare te sine te, nimirum quando adhuc non eras, quomodo nõ poterit iustificare te sine te? id est, sine Liberi Arbitrij Regis opera? quandoquidem ipsi Theologi sic interpretantur. Sed quia in ipsius Regis virium detrimentum prorsus hoc vergeret, exẽplar illud hac in parte deprauatum esse optimo iure

dicemus

dicemus.

HER. Sanè quidem. Nam Theologorum nostrorum rationes nullam alioqui vim haberent. Verũ de his omnibus hactenus: abeundũ mihi omnino iam est.

DIA. Tuo arbitratu. Quin potius ignosces mihi si te plus æquo hîc detinui. Vnum hoc me hercule tibi dicam. Isthæc ipsa horum Thologorum colloquia mihi adeo visa esse & suauia, & erudita, vt mea quidem sententia digni sint, qui MAGISTRI NOSTRI literis maiusculis vocentur, ipsorumq́ plena manu laudes in astra tollantur, nihil enim euidentius, nihil elegantius, quâ de Papa, quâ de Liberi Arbitrij potestate dici potuit.

HER. Vellem ex suo ipsorum ore has collocutiones excæpisses, absq́ dubio tibi multò magis, quam fortasse ex hac mea tã festina relatione arriserint, arrisissẽt.

DIA. Credo equidem. Verum hodie tanta negotiorum mole præpeditus, ne dicam oppresus fui, vt etiam num domum reuerti non potuerim.

HER. Et quæ obsecro te, peculiaria illa sunt negotia (si rescire fas est) quæ cũ Chrisostomo quæstore pegisti?

DIA. Dicam tibi. Augustinus Chisius, Mensarius iam pridem Hero meo bona quamplurima testamento legauerat, quo sibi iussa feraliaq́ quotannis in singulos annos fierent. At quæstor hactenus ab hæredibus Chisij reposcere legata neglexerat. Hac de causa iusit Herus illi nunciarem, vt ne Chisianum hoc nomen amplius differret exigere.

HER. Fit plerunq́ vt huiusmodi Mensarij, quum ad lucrum & quæstum cupiditatis occulos adiecerunt, grandem rem grandi fænore faciant. Vnde etiam euenit vt

nit vt postea cogantur animæ salutem legatis á morte pecuniis formidolosè redimere.

DIA. Quam diu Mortales hic inter viuos agunt, aliena quouis modo surripere sceleraque omne genus perpetrare sine vlla formidine possunt, propterea quod meus Herus aut per se, aut per suos Administros ab omnibus illos valet peccatis manumittere, modo iis precium ad soluendam manumissionem adsit. Quum autem ex hac vita migrandum est, pro se quisque suorū bonorum summam quam potest maximam legare debet, vt cum iis etiam qui purgatorio præsunt loco suas apud inferos regulas componat & transigat. Verum te pluribus non morabor. Ego Felinum Obsonatorem quem video prætereuntem, conueniam. Mox in ædeis me recepero, vt cibi aliquid capiam, impransus etenim etiam nunc hodie sum.

HER. Ego quoque ad mea obeunda negotia hinc concedam.

ACTVS PRIMI

SCENA QVARTA.

DIACONATVS, FELINVS.

FEline: heus Feline quo hinc abis?

FE. Quis me voce tam clamosa nunc reuocat? Hem Diaconate mi teipsum querebam. Reuerendissimus Clerus ex te scire percupit, an ea quæ tibi cū Quæstore agenda erant, peregeris?

DIA. Per me ipse accedam, remq; illi omnem, & si non magni momenti est, narrabo ordine. Sedenim dic mihi amabô te Feline ministrasti ne hospitibus hodie vt nonnunquam soles?

FE. Sic factum est.

DIA. Quid quæso de transalpinis illis, qui discubuere, tibi visum est viris?

FE. Boni mihi visi sunt homines. At mirum est eos tam parce, tamq; restrictè bibere.

DIA. Tu tuas nugas ais, neq; ad rogatum respondes. Ego non de ipsorum potu, aut pastu, sed de moribus, & collocutionibus interrogo.

FE. De ipsorum colloquijs nullam tibi rationem reddere possum, quod inter se perpetuo ferè sermone theologicas res, quas ego non satis calleo contulerunt. At mores mihi visi sunt non admodum vrbani.

DIA. Quid ipsis in moribus te precipuè offendit?

FE. Id quod iam dixi. Nam Nouellius Tricongius, & L. Piso hîc sicci præ illis habendi forent.

DIA. Obseruandum est, hos ferè omneis Germanos esse, quos largius aliquanto bibere non dedeceat.

FE. Ciuilisne tibi esse hic mos videtur?

DIA. Aliquid naturæ dandum, educationi tribuendum, consuetudini concedendum, ac patriæ condonandum est, atq; in gratiam Heri nostri, horum quoq; rationem habere conuenit. Nam Theologi sunt, ne sis nescius, qui quoties opus est, Heri causam accuratè, diligenter, exquisitèq; defendunt.

FE. vtinam id quidem. Ego sanè illis hac in re non multum tribuerim, quod vino mihi quam sale pleniores esse videantur: præterquam quod nasos habent coctis

etiam

etiam cancris magis rubros.

DIA. Hermetis hac in causa iuditium pluris quam tuum facio. Is autem optima quæque de ipsis Theologis mihi renuntiauit.

FE. Vt libet. Verum ego sic existimo. Reuerendissimum Polum, qui homo est (vt audio) valdè Ciceronianus Heri causam longè præstantius quam hos Theologos tueri posse, quanque id etiam ad peritiores reiicio.

DIA. Abunde iam verborum est. Ingrediamur. Ego quum ieiunium soluero, confestim Herum & conueniam, & alloquar.

ACTVS SECVNDI. SCENA PRIMA:

LIBERVM ARBITRIVM REX, DISCVRSVS HVMANVS. ACTVS ELICITVS.

SAtis superque iã videre licet Humane Discursus quã cæcà sint mortalium iudicia, quanque nonnunquã temerè ferantur in præceps. Quis vnque sibi quæso persuadere potuisset, homines vspiam inueniri, qui seruitutẽ libertati præferendam ducerent? Et conspicere nihilominus nunc est quãplurimos esse, qui iam è meo regno, vbi non precario, sed liberrimè suo valẽt viuere modo, discedere incipiant, atque aliò se cõferre, vbi dura sub seruitute viuant aliorum arbitrio.

DIS. Non iuditium Rex optime, sed imprudentia,

vel amentia quædam potius huiuſmodi homunciones inducit vt libertatem reſpuant ac ſeruitutem ſectentur. Id Græci qui et ſapientes, & cati homines habiti ſunt minimè fecerunt, quum Q.Flaminius inſperatã quidem illam, ſed tamen optatam libertatem ijs obtulit. Verũ quid hac de re tibi videtur Actus Elicite?

AC. Hoc ſanè mihi compertum eſt multos olim extitiſſe, qui vitam maluerint quam libertatem amittere: Sed qua de libertate, aut ſeruitute ſermo ſit à vobis hîc inſtitutus non adhuc omnino ſatis aſſequor.

LIB. Ergo quid nouarum rerum ſit è Germania nuper ad nos allatum etiamnunc ignoras?

AC. Vtiq; ignoro.

LIB. Ex Viennenſis Epiſcopi literis, quas hîc habemus, per te ipſe potes quid ſignificatũ ſit nobis, puidere

AC. Agnoſco Epiſcopalem epiſtolam.

LIB. Itá legito vt & nos audiamus.

AC. Ita fiet. Ioannes Faber Epiſcopus Viennenſis. Libero Arbitrio Regi fœlicitatem. Adeo me ſibi ſuis officijs tua Maieſtas deuincit potentiſsime Rex, vt quæ ad imperij tui conſeruationem faciant, haud aliter ſanè mihi ſint curæ, quam mea omnia. Quamobrem quum mihi compertiſsimum ſit Viros quotidie non paucos in Germaniam, quo ſe Luteranis populis tibi rebellibus adiungant, migrare, meas eſſe parteis duxi, ea de re te certiorem facere, vt peſtem hanc imperio tuo imminentem depellere, prout opportunum iudicaueris, valeas. vale.

LIB. Quid? Hoc tibi quale nunc videtur?

AC. Accurata conſideratione digniſsimum. Quam obrem etiam arbitror vehementer expedire primo quo

que tempore, cõflatam hanc seditionem vel vi opprimi, vt ne aliqua tandem hinc oriatur in tuam Maiestatem coniuratio.

LIB. Hoc idem consilij dat etiam Discursus noster. Quapropter ita facere prorsus mihi certum est. Quam primum igitur Amonium scribam conueni, atque ab eo repete meo nomine illa scripturarum exempla, quæ excipi ex meis archetypis iussi, eaque illico ad sanctissimum ac Beatissimum Patrem affer. Ego te cum Discursu continuò subsequemur. Tu nos ibidem expectato.

AC. Factum puta.

LIB. Audin tu vero? Bertutium tibi comitem assume, atque imperata quam potestis celerrimè simul exequimini.

AC. Actutum omnia.

ACTVS SECVNDI: SCENA SECVNDA.

BERTVCIVS: ACTVS ELICITVS: AMONIVS: TRIPHO NOTARIVS:

OBsequar non inuitus ad tua iussa Regi: & si non deerat quod agerem domi.

AC. Alia omnia prætermittenda, quemadmodum tibi iam dixi, atque ipsi Regi nunc obtemperandum est: Verum vbinã locorum poterimus Amoniũ inuenire?

BER. Mirum ni domi sit. Adeamne vt videam?

AC. Vt libet. Eccum autem opportunè ipsum video ex ædibus egredientẽ Conueniamus hominem & allo

quamur. Saluemi Amoni.

AM. Saluete & vos vnà. Sed est ne aliquid, quod me velitis? Ad me enim cõtendere videmini.

AC. Est inquam quod velimus. Nam Rex iussit vt abs te repeteremus ea exempla, quæ suis ex archetypis exscribi per te voluit.

AM. Ea hercle de causa in nostrum Archiuum nunc me conferebam, vt quæ iam descripta sunt, cum ipsis archetypis componerem, quò errata si qua forte in scribẽdo incidissent, commodum corrigerentur. Verum quod sueramus illic facturi, hîc nunc fiat.

AC. Rectè quidem. Sed festinandum erit aliquantulum, quoniã isthæc ipsa mihi ocyus alio sunt ferẽnda.

AM. Mature fiet, ne dubita. Tu Tripho in eo, quem huc attulisti Archetypo, mihi locum indica, Vbi Prouinciarum, Vrbium, Vectigalium, atq; Immunitatum ad Bonorum operum Regnum pertinentium descriptio continetur.

TRI. Locum per se indicat apposita nota.

AM. Isthuc rectè. Iam tu mihi exempla hæc ex ordine recita, Ego hîc obseruabo quam archetypo respondeant: atq; itá celerrimê negotium conficiemus. Atq; adeó á Prouincijs initium sume.

TRI. Prouinciarum descriptarum exemplum sic habet. Bonorum operum Regnum á summo Pontifice Romano Libero Arbitrio Regi dono datum, eas continet sub se prouincias, quarum hîc sunt adscripta nomina, Prima Monachatus, Secunda diuorum cultus, Tertia Piorum locorum ædificia, Quarta, Pœnitentia Quinta, Ieiunium, Sexta, Preces, Septima Eleemosyna, Octaua, Missa vocantur. Atq; huius quidem Regni separatim

Bona

Bona Intentio sapientissima prudentissimaque Dux ab ipso Rege, inde vsque ab imperij sui principio delegata Gubernatrix fuit.

AM. Prouinciarum nomina bellè habent. Iam et Vrbium recita.

TRI. Vrbium nomina hæc sunt prouinciatim. Monachatus Prouincia quamplurimis referta est Vrbibus, quæ & ornatissima ædificia, & genteis innumeras continent: Atque harum quidem Vrbium nonnullæ suos vnius tantum ordinis populos, Alię verò in sectas compluris diuisos velut in Centurias, aut Tribus habent. Huiusmodi autem nominibus ascribuntur. Basiliana, quę á Græcis hominibus incolitur. Hieronymiana: Augustiniana familijs aliquot plena: nimirum Eremitanis, Canonicis Regularibus, Scopetinis, Lateranensibus, Præmõstratensibus, Bonis hominibus, Cruciferis nigris: ac diui Georgij de alga, Benedictina, quę quidem vt reliquis est amplior, itá plurium familiarum est magis capax. His autem fermè nominibus eædem annotantur familiæ, nempe Cluniacensiũ, Camalduensium, Vallisumbrẽsium, Grandimontensium, Cisterciensium, Humiliatorum, Cælestinorum, Gilbertensium, Mellicensium, Castellensium, Burfeldensium, Montoliuetensium, Eremitanorum, & Cassinensium, Cartusia, Carmelitana, Crucigera, Dęmonicana, (Dominicana volui dicere) bipartitò in Conuentualeis & Obseruanteis distributa. Franciscana sectis identidem nouis expullulans, videlicet Conuentualium, & Obseruantium, & Pauperum, & Pœnitentium, & Minimorum, & Capucinorum, qui ex recenti abortione prouenerunt. Vrbs Trinitatis. Seruitana Deiparæ virginis, Brigidensis, & Iesuatana. Porrò licet

licet in his Vrbibus aliæ quoq; sodalitates præter iam dictas inueniantur, attamen quia nullius ferè sunt nominis, nulloq; numero habitæ, nullæ etiam hîc recensentur. Præterea quum ijsdem in Vrbibus nouarum quotidie Sectarum inutiles fœtus tanquam è putredine fungi exoriantur, longum foret conscribendis omnibus hîc insistere. Cæterum plereq; omnes huius Prouinciæ Vrbes opulentissimæ sunt ob eorum scilicet liberalitatem ac munificentiã, qui Eleemosinæ Prouinciæ per plureis successiones præfuerunt. Quorum aliqui religiosa formidine adducti, nonnulli vt alienis bonis grauatas conscientias exonerarent, alij vt suorum criminum veniam impetrarent, plurimi vt & in hac, & in altera vita tam suis, quam suorum animis consulerent, Vrbium huiusmodi populos, etiam defraudatis nonnunquam legitimis hæredibus, suis ipsorum bonis ditauere: Vt cum populo Confraternitatem Vrbem paulo infra descriptam inhabitante pariter effecerunt. Atq; inter eos quidem populos ij res tranquillius ac securius possident suas, quorum sectæ fuerint ab ipso Papa confirmatæ. Nec alicui licet hac in Prouincia suo arbitratu ex alia in aliam Vrbem quauis de causa commigrare, nisi forte sese in aliquam, quę quam sua perfectior sit conferre velit.

BER. Paulus Apostolus pauculas aliquot Sectas quę apud Corinthios pullulare cæperant sustinere non potuit, veritus ne per talem occasionẽ diuideretur Christus. Et nihilominus hîc sexcentę sunt Sectę, quæ Christum ipsum non diuidant modo, sed anatomem quoq; de illo conficiant. Hoc mei oculi ferre non possunt.

AC. Quid nam tu tecum Bertuci?

BER. Laudabam tot porcellorum (procerum vole-

bam

bam dictum) Sectas egregias. Verū tu Tripho perge.

TRI. In primo statim Prouinciæ huius ingressū triangularis Arx quędā sita est, & arte, & ingenio loci munitissima, quam Votorum Monastichorū professionem vocant. Singulos autem Arcis angulos, singula tuentur propugnacula. Quorum quidem Obedientia primum: Paupertas alterum, Castitas tertium appellatur. Loco verò tam opportuno exædificata est Arx ipsa, vt quoquo versum totam ex æquo Prouinciam defendat. Sed enim hæc eadem Prouincia nulli prius ad inhabitandum conceditur, quam si quis proprio nomine immutato per eius arcis munitiones ingressus, eadem se loca dū uiuat, quo in statu iam sunt, conseruaturum polliceatur, atq; hoc idem publicè sanctèq; adiuret. Quin etiam qui hoc pacto huc accedunt, Dominum Errorem, aut Dominam Desperationem sequantur necesse est, qnod sine horum alterius ductu fermè nullus ingrediatur. Etiamsi complures Adolescentulæ frequenter inuitæ illuc à parentibus, vt reliquis liberis melius consultū sit intrudantur, ibiq; tanquam Vestales perpetuum & sempiternum ignem seruare non quidem extra, sed intra seipsas cogantur.

BER. O miserrimas fœmellas, quæ inibi & infœliciter viuere, & infœlicissime mori compelluntur. Sed obsecro dic mihi mi Amoni, vnde nam deducuntur eorum, quæ supra iam descripta sunt propugnaculorum nomina? Quid sibi volunt hæc vocabula, Obedientia, Paupertas, & Castitas? Nam vt verum fatear, præposteræ mihi nomenclationes videntur.

AM. Nil mirum tibi sic videri. Non enim simpliciter sed per eam, quam Antiphrasim vocant Grammatici

ſiguram iſtiuſmodi voces proferuntur. Etenim per Obe-dientiæ nomen, Imperium quod in alios ibi non mini-mum exercetur: per Paupertatis, Diuitiæ, quæ inibi maxime poſsidentur: per Caſtitatis, Venereæ genus omne libidines, quę ibidem ſummopere vigent, intelli-guntur. Atqui ſequere Tripho.

TRI. Haud procul à dicta iam Arce ſita eſt ampliſsi-ma quædam Vrbs aliis huius Prouinciæ Vrbibus fœde-re coniuncta (confraternitatem vulgo appellant) quæ & ipſa plureis in ordines velutiq; ſodalicia diſtinguitur. Primò nanq; ſacros habet milites, in horum fermé no-minũ turmas diſtributos, nempe Equitum Rhodiorũ, Templariorum, Theutonicorum, Diui Iacobi, Calatra-uenſium, Ieſu Chriſti, Caſtellanorum, Diuæ Mariæ de redemptione captiuorum, Monteſianorum, & Equi-tum Diui Pauli nuper à Paulo huius nominis tertio Põ-tifice Romano conſcriptorum. Deinde Niniuitarum, quos vocant, familias frequentiſsimas continet. Atq; inter hos etiam Antonianos qui. T. literæ maiuſculæ formam pectori affixam geſtant. & Cæretanos, & alia quampl urima eiuſdem generis monſtra.

AC. Ingens hîc hominum vulgus eſt. Equidem ar-bitror ne AEgiptum quidem ſine nube feracem tot ra-nas, ac tot locuſtas, quo tempore Pharao Chencres re-gno præerat concreaſſe.

BER. At enim iidem iſti homines locuſtæ ſunt, & ex ipſiſsimis quidem illis quas Ioannes in ſibi facta re-uelatione diuinitus profundiſsima ex abyſſo exire con-ſpexit.

TRI. Hac in Prouincia neq; Viri, Vxores, neq; Fœ-minę Viros habent, & nihilominus adeo fœtus hic mul-

ſtiplicantur, vt velut Apum noua examina, nouis crebrō aluearijs excipiendi ſunt. Nonnos tamen, vt vocant, & Nonnas tertij ordinis, huc adducunt, quibus & matrimonio copulari, & ſuis ipſorū nihiloſecius immunitatibus vti permittunt, ſed per taleis viros gentium huius Prouinciæ numerus augeri non poteſt, propterea quod qui ex huiuſmodi hominibus procreantur liberi, prouincialium ditioni minimè ſubijciantur.

AC. Proh Iupiter quę audio, Te mi Amoni etiam atq; etiam rogo, mihi indices, qua homines iſti ratione tantam ſobolem propagent, quum nulla inter ſeipſos matrimonia contrahant.

AM. Ignoro me hercule mi Elicite Actus. Nam etſi hac in Prouincia viri (vt compertiſsimum eſt) á viris non abſtineant, & quamuis etiam ex his plurimi non modo cum prouincialibus fœminis, ſed cū exteris quoque rem frequenter habere conſueuerint, atq; oua in alienū nidum Cuculis haud abſimiles collocare: neutro tamen horum modorum augmentant ſuum numerum, ob id nimirum, quod plerique omnes, qui inde proueniunt fœtus, aut iubentur exponi, aut velut ad Cynoſarges, in aliarum prouinciarum xenodochia transferri, ne nothorum educandorum labores cogantur ſuſtinere, neue pudore ſuffundantur, ſi palam ac publice taleis, enutriant. Fortaſſe quemadmodum olim Myrmidones ad AEaci, ità & hi ad ſuorū alicuius preces multiplicantur, aut Cantharidum inſtar ſeſe fouent.

AC. Vtut ſe habeat, mira hæc omnino res eſt.

BER. Ex tam populoſa prouincia complures excerpi poſſent, atq; ituris contra Turcas triremibus mancipari. Sic enim tellus iſthac hominum fece aliquantulum

Dec. cau. 23. Quæstione. 5. Cap: Omni.

expurgaretur, & exoneraretur. Atq; ô beatos quidem illos, quibus illic vitam cum morte commutare contingeret, quoniam cœleste domicilium pollicetur ijs Papa, qui aduersus tam Turcas, quam alios suos hosteis pugnãdo, aut pugnantibus asſiſtendo intereant: Quod ipsi Papæ facere, quã accipere iniuriam omnino prestet.

AC. Non displicet Bertuci hæc admonitio. Ad Regẽ de illa fortaſſe aliquãdo referam. Sed perge Tripho recitare.

TRI. Huiusce prouinciæ populi non modo promiscuè omnes: Verum & per se singuli non tantum à publicis oneribus eximuntur, sed etiam infinitis immunitatibus donantur, vt in ipsorum Mari magno, quod appellant, diffusiſsime continetur.

BER. Itá sanè se res habet. Nã vt audio, de cœlestis quoq; patriæ bonis exempti sunt.

TRI. Ne mihi sis impedimento Bertuci tuis nugis.

BER. Dignum & iustum est. Sequere.

TRI. Nulli hominum tam huius Prouinciæ, quam eorum, qui Reuerendiſsimi Cleri Curiam incolunt, fas est hac tempestate suis manibus aliquid operis exercere, tum quia lautè viuendi copiosam aliunde facultatẽ habent, tum quia maioris momenti res, quam ea sint opera exequantur necesse est. Videlicet Spiritalibus exercitationibus incumbendum est illis asſidue, quales nimirum hæ sint, vt Canonicas horas, quas vocant, vnà cum alijs quibusdam præcibus.

Nocturna versentq; manu, versentq; diurna:
Atq; frequenter in his dent sine mente sonum,

Vt similiter diuina illis dicta officia tam in Choro quã

extra

extra chorum quottidie celebrent, & vt altaria templaq; festis presertim diebus eleganter exornent. Ex ijs etiã plurimi sunt qui scholasticæ Theologiæ, nonnulli qui papisticorum canonum: haud pauci, qui summarum, quas nominant, per suos fratres compilatarum studijs diligentem operã nauent, Sacrorum autem Bibliorum non item, quod illorum lectio in sexcentas hæreses temporarium & perpetuum ignem ex Inquisitorum sententia promerenteis inducant. Præterea ex ijs alij non secus ac Promi Condiq; negocijs externis præficiuntur, vt & vendant, & emant, quæ in Vrbium suarum vsum esse cognouerint: Pinguissimos quos habent ẽ suis prædijs, prouentus colligant, ac lucris vndecunq; contrahendis perpetuo inhient. Quo inde possint proprias ædeis, quæ Claustra ipsi nuncupant, instruere, ac rebus omnibus non ad commoditatem modo, sed & ad voluptatem, & ad luxum, & ad delicias pertinentibus vberrime replere.

Foras Cares non iam amplius Atistheria

BER. Quam expediret aliquem Amasim AEgypti Regem his asotis nebulonibusq; præesse, si Phryges tamen plagis fieri meliores possent. An non iubet ipse Deus, vt vnusquisq; sibi suis laboribus victum paret? Quo iure igitur hi tanquam fuci ex alienis laboribus per simulationem religionis ociosam aduersus diuina præcepta vitam viuent?

AC. Quid iterum tu tecum Bertuci?

BER. Nihil ad hoc negotium: Aliô intenderã animũ.

AC. Non est itaq; quod miremur, quum eiusmodi viri tam perfectam atq; ab omni parte absolutam ducant vitam, Diuum Thomam Aquinatem asserere quẽuis vnum in hanc prouinciam ingredientem, vesteisq;

 incolẽ-

incolentium induentem, ac publico iusiurando (professionem ipsi nominant) ad ea quæ paulo ante dicta sunt, seruanda sese obstringentem haud aliter ab omnibus peccatis, quam in sacro Baptismate mundari.

BER. Quid? Mundari? Immò verò quiduis aliud. Nam illi ipsi, qui in hanc prouinciam migrant, è mundo se exire prædicant. Quo igitur illos è mundo profectos accessisse dicendum est, nisi ad immundum & sordidum? Iam & Hugo Carrensis bellissimè astipulatur huic meæ sententiæ. Qui Pauli locum ad Corinthios VTINAM E MVNDO EXISSETIS, interprætatur hoc modo, videlicet, confugissetis ad religionem, Monachatum Prouinciam religionem vocans. Insuper horũ ædeis Claustra nuncupari dictum est supra: Quis ergo ambigat, Viros hæc ipsa Claustra inhabitanteis infidos esse atque impios, quum Lucanus etiam pöeta hoc idem comprobet? Mecũ enim Is faciens ita inquit.

Nulla fides, pietasque viris, qui Claustra sequuntur.

AC. Tuam prorsus inscitiam, literarumque ignorãtiam hîc prodis Bertuci. Nam Lucani non Claustra, sed Castra, carmen habet.

BER. Quid adeò mirum, si è tonsorum grege homũcio humaniores literas exactè non calleat. neque tam sit Lynceus, vt in leuiculis obseruationibus huiusmodi nusquam incurrat. Verum id asseueranter sanè affirmare ausim. meo in libello Claustra haberi. Et quidem quod ad me attinet, vtranque ego iuxta lectionem veram esse arbitror. Neque enim adduci possum, vt credã, mendum inesse codici, qui mihi ex Andreæ Tricesij & nobilitate & eruditione præstantissimi Equitis bibliotheca

dono

dono ſit miſſus, quum ingenuus & pius Is adoleſcens, triumq; linguarum peritiſſimus erratum aliquod ſuos commaculare libros æquo animo non ſuſtinuiſſet. Nõ poſſum me continere quandoquidem in Iuuenis huius egregij mentionẽ incidimus, quin tibi recitẽ hic Oden quandam breuem quidem illam, ſed non prorſus inconcinnam, qua ſingularis eius amicus hunc olim ipſũ veræ gloriæ commendauit, his verbis.

Sunt qui celſa petant iuga
Parnaſi placidas pieridum domos,
Fiant inter vt inclyti
Mortaleis, celebrant carmine quos ſuo.
At ſplendore Triceſius
Contentus Proauorum, ac proprio ſimul,
Hæc vaniſſima reſpuens:
(Quanquam ſuſtineat clarum Equitem lubens
Tergo Pegaſus hũc ſuo)
Virtute eximia, moribus optimis
Ac linguis pariter tribus
Ornatus, quibus eſt & pietas comes,
Cœlum ſtelliferum petit:
Dignis vt celebret numina laudibus.

Verum tu Tripho iam ſequere.

TRI. A vetere tua iocandi conſuetudine non recedis Berturci Sed obſecrô te ne me recitantem tuis cauillationibus remoreris.

BER. Ridentẽ dicere verum Quid vetat? Sed per me licet pergas tuo arbitratu.

TRI. Quælibet ſecta cuiuſlibet Vrbis huiuſce Prouin

ciæ quandam per se uiuendi regulam, & quendam vestiendi modum à reliquis diuersum sibi habet ac seruat. Ita fit, vt nonnulli carnibus quoties libuerit vescantur: Alij carneis omnino non edant, quum interim tamen omnes opiparè viuant. Nonnulli in hanc: Alij in aliā formā caput abradant, quemadmodum etiam ferè omnes romanenses curiales efficiunt, vt hac ipsa capitis abrasione, quam illi Coronam appellant, se spiritaleis esse Reges ostendant. Nonnulli laneis, Complures lineis, & hi quidem cilicinis, illi vero milesijs amiciuntur amiculis. Nec minor in coloribus varietas. Etenim quidam albis. Quidam nigris. Quidam aut vtroq; colore picarum instar commistis, aut alterius alicuius coloris vestibus ad suæ sectæ Autoris arbitrium conteguntur. Porrò aliqui cincti, & quidem vario cingulorum genere. Aliqui vero discincti. Quamplurimi soleati, aut etiam calceis carbatinis induti. Non pauci nudis pedibus incedūt, aut ligneos subijciūt socculos. Multi ex ijs Monachi vocantur. Aliquod Eremitæ, Plurimi Fratres manducantes (erraui mendicantes dicendū erat)Papisticæ Monarchiæ strenui propugnatores. Et quanquam hæ viuendi vestiendiq; rationes inter se non parū dissidere videantur, omnes tamen eodem omnino tendunt, vt ad supremum perfectionis gradum, & ad vitam perpetuo beatam huius Prouinciæ populos perducant. Quæ sanè præstantissima premia, summaq; emolumenta ijdem populi postea pollicentur illis etiam exterarum gentium hominibus qui aut dum viuant, eiusdem, quo & ipsi, coloris vtantur vestitu, aut inter moriendū sese ipsorum etiam cuculis indui iusserint.

Dec: De consecratione Dis: 5: Cap. Carnē

BER. Audiui sæpius qui dicerent, Iesum Christum

ſuo in Euangelio uitam illis beatam promittere, qui in ſe credant, ſibi vni fidant, ac deinde præceptis Dei ſeruandis incumbant. Quod ſi ita eſt, quî fieri poteſt vt ſuaues iſtiuſmodi homines regularum ſuarum obſeruatione vitam illam beatam ſibi parent?

AM. Non aſſequeris Bertuci quæ dicantur. Nam hi viri non modo ſuas regulas, Verumetiam diuina præcepta, quin & Euangelica inſuper conſilia ſeruant. Quapropter etiam ex ijs quamplurimi, Oſeruantes & dici volunt, & ſunt.

BER. Satis aſſequor, quæ dicantur. At interim ex te ſcire velim, an qui Chriſto credant, & ex præceptorum Dei præſcripto pro viribus viuant, in ſupernam paradiſum æterna fœlicitate fruituri conſcendant.

AM. Quis adeo ſit incogitans, vt hoc in dubium vertat?

BER. Igitur ſi fide in Ieſum Chriſtum, quæ diuinis præceptis pro virili parte ſeruandis operam dat, in iam dictam paradiſum peruenitur, Ii qui ſe iactant & ipſius Dei & ſuarum regularum iuſſa perficere, quo (malum) denicꝫ peruenient? cœleſtē paradiſum tranſcēdant neceſſe eſt.

AM. Vide Bertuci quid agas. Nam tibi tuum artificium quam Euangelium curare ſatius fuerit. Etenim pro comperto eſt, bonam eorum partem, qui rei aliquid cum Euangelio habent, Lutheranos euadere, atcꝫ hæreſes intermortuas renouare. Sed recita Tripho.

TRI. Peculiaris huius Prouinciæ cura Hypocriſi matronæ papiſtici populi primariæ demandata eſt. Verum quia iſthæc ipſa legitimis quibuſdam de cauſis in publicum prodire non conſueuit: conſtitutum eſt vt Inuidiam

uidiam, Discordiam, & Ambitionē, treis itidem papisti carum omnium præstantissimas fœminas, quibus in publico esse suo iure licet, in administranda Prouincia, hac sibi Collegas adiungat. Atq; vt ex ijs Ambitio seorsum ab alijs per ipsius Prouinciæ loca, Magistratus, Officia, Dignitatesq;, non Viris modo, sed Mulieribus quoque distribuat. Postremo quod ad huis Prouinciæ negotia pertractanda cum hospitibus atq; aduenis pertinet, quēadmodum complures huc exteri subinde confluunt, quó sit cum prouincialibus commertio locus, ità & èx ipsa Prouincia quamplurimi tum in Papæ Curiam tum in Missam aliasq; regni prouincias sese frequenteis conferunt, vt quicquid honoris, quicquid lucri, quicquid vtilitatis, inde potest eximi secum auferant.

Jis hæc obueniunt citra pulueris tactū.

BER. Immo huius generis otiosorum ac perniciosorum Ventrum, Acolastorumq; hominum plena sunt omnia, nec vllum ferè nefarij sceleris, aut horrendi facinoris crimen vspiam ab aliquo perpetratur, quo cum istorum alicui aliquid commune non sit.

Viua cadauera

AC. Quid ità tecum blateras Bertuci.

BER. Nihil est.

AC. Non immeritò sanè nunc suarum rerum satagit Rex noster: videlicet veretur, ne tā potenti, in quod iam tot annos dominatur imperio, se priuari aliquando contingat. Sed Triphonem ne remoremur.

TRI. Secunda diuorū cultus dicta prouincia treis cōtinet amplissimas Vrbeis. Quarū prima Adoratio, Inuocatio secunda, tertia Intercessio nominatur. Atq; hæ quidem adeò latè patent, vt infinitam penè gentium multitudinem intra sua mœnia concludant. In his autem Vrbibus construendis Caldaicæ Babilonis exemplar

plaꝛ sibi ꝓposuerunt Architecti. Vnde etiā factum est, vt gentilicios eius vrbis mores ac ritus etiam nunc referant. In medio verò prouinciæ duo siti sunt montes nō è Saxorum coaceruationibus, sed ex hominum opinionibus coagmentati, qui vsq; adeò in sublime feruntur, vt summis cœlum ipsum verticibus attingant. Atq; horum quidē alter Dulia, Hyperdulia verò alter appelaꝛ.

BER. Si Typhoeus, reliquiq; Gigantes horum montium noticiam habuissent actum medius fidius de Ioue cum suis omnibus dijs erat.

TRI. Vbiq; autem locorum hîc est videre Templa, Sacella, atq; Altaria magnificè exædificata, prouentibusq; opulentissimis ditata. Vbi summa reuerentia, ingenti demissione, ac maximo timore ij omnes adorantur, inuocantur, & vt Patroni etiam implorantur, qui per Papam, perq; ipsius Concilia in diuorum numerū relati sunt, ac Deprecatorum locum habere iussi: Quibus itidem pleraq; eius generis ædificia consecrantur, non vt eorum modo nomina venerentur eo loci, Sed vt ipsorum quoq; reliquiæ illic honorificentissimè conseruentur, iam inde vsq; ab Igini Papæ, siue ab Imperatoris Constantini tēporibus, qui exædificandis huiusmodi fabricis (vt fama est) initio autores fuerunt: quanquā alij alios huius rei autores habeant. Postea verò per eosdem Pōtifices Romanos templis iam dictis addita sunt sacra Cæmeteria, quo sanctius in ijs Christianorum cadauera sepelirentur, ac suauius religiosiusq; putrescerent. Suis autem his diuis adeò sunt Prouinciales addicti, vt per eorum nomina iuuare, atq; illa quidem similiter ac Dei nomen in veritatis asserendæ testimonium adducere consueuerint.

Ita his tēplis præest antichristus Architectus vt Ephesiæ Dianæ templo præfuit Ctesiphon.

LIBERVM ARBITRIVM.

BER. Falluntur Elicite Actus hi populi mea quidem sententia in hac suorum diuorum causa: quoniam qui papistica sanctione diuis ascribuntur, non in Optimi Maximi Dei, sed in ipsius Papæ paradisum concedentes, nihil habent cum veris Diuis commune: quemadmodum superioribus diebus affinis meus mihi Pasquillus indicauit. Aegyptij ne suas quidem belluas nisi ob aliquam vtilitatem consecrabant: Et Papa tamen hic homines consecrat non modo nulli vsui, sed summo potius detrimento cæteris hominibus futuros. Nam satis constat miseros mortaleis in omne genus idololatriæ præcipites hinc agi.

AC. Qvam tu mihi Papę paradisum hic narras? Aut quæ tibi affinitas est cum Pasquillo Bertuci?

BER. Eam inquam paradisum, quam sibi, suisq; diuis Papa ipse á vera Dei paradiso seclusus confinxit. Quod verò ad Pasquillum attinet: Is vt verum fatear, sobrinus meus est, ac tanta mihi pręterea necessitudine coniunctus, vt antequam in saxum miser conuersus esset in eadem simul officina tonsoriam artẽ exerceremus.

AC. Audio tuum hunc Pasquillum & loquacissimum, & maledicentissimum esse. Nam & Papæ, & Cardinalibus, & quibus illi visum est hominibus quicquid in buccam venerit, eum obloqui aiunt. Quo circa ab isthoc ipso tibi cauendum consulerem, vt ne in Papæ diras incurreres, atq; ità eueniret vt à Rege nostro ex Aula aduersus animi tui sententiã extrusus, extorris fieres.

BER. Papisticæ diræ mihi nullum incutiunt metum: Etenim nos Tonsores earum maculas vel lixiuio abluere possumus. Meum Pasquillum nihil aliud mihi ꝙ simplicem rei veritatem indicasse certo scio. Sequere

Tri-

Tripho.

TRI. Ad hæc passim hac in regione cernuntur Cryptæ, Sepulchra, Sarcophagi, Vrnulæ, Ampullæ, atque alia innumera omnis generis preciosæ materiæ vascula, in quibus corpora, capita, mēbra, artus, ossa, pulueres, cineres, capilli, vnguium resegmina, panni, vestes, velamina, sanguis, lac, sudor, lachrimæ, ligna, spinæ, claui, & quid non reliquiarum? tam Christi, quam Mariæ Virginis, atque aliorum, qui ab ipso Papa ex hominum genere, numinibus asscripti sunt in hoc tantum seruantur, vt summa cum veneratione ab ijs populis visitentur, exosculētur, ac religiose colantur, adorenturque.

BER. Quæ de colendis hic reliquijs recitantur Elicite Actus, animum meum reuocant ad memoriā quorundam carminum ad id facientiū, que Pasquillus non ineleganter, vt mihi quidem videtur, olim lusit. Ea verò carmina, quia ipsum Pasquillum non omnia pessimè loqui, (vt audisse te modo aiebas) facere fidem possūt, volo tibi omnino nunc referre. Sunt autem huiusmodi.

Exorta nuper est grauis contentio
Inter Thomistas, & Scotistas Theologos,
Non de vmbra aselli, aut de caprino vellere,
Sed ponderis de maximi re seria,
Quæ religionis pertinet ad negotium.
An scilicet quo tempore est Apostolo
Detracta Barptolemæo ab artubus cutis,
Testiculi (honor sit auribus) remanserint
Visceribus affixi, an secuti sint cutem.
Postquam diu pugnatum vtrinque acerrime est,
Denique ita conuenere: Romanum vt simul

 Pontifi-

Pontificem adirent: ac beatorum pedum
Post oscula, hinc exposcerent votis pijs,
Vt ipse, qui fidei est Magister, neq; potest
Errare, pectoris sui de scrinio
Hunc gordianum nodum apertè solueret
Solutionemq; hanc iuberet legibus
Ascribi in ijs, quæ capite quam sacerrimo
De Reliquijs, Venerationeq; integra
Sanctorum habentur: clare vt omnes noscerent,
Quo sint colenda ritè membra ipsa hæc loco.
At maximus, Sanctissimusq; Pontifex
Acumen horum Theologorum perspicax,
Profunditatem quæstionisq; admodum
Subtilis admiratus, annuit lubens
Iustæ petitioni. Et hîc sanxit, fide
Certa esse credendum omnibus mortalibus,
E testiculis Apostoli ademptæ alterum
Hæsisse pelli: hæsisse corpori alterum.
Tum verò & ipsi suspicientes Theologi
Sapientiam Papæ, ac pariter pulcherrimam
Hanc Sanctionem, tam scienter quæ abstulit
Errorem in his omnem colendis reliquijs,
Abiere læti vtrinq; cum victoria.

Verum tu Tripho iam perge.

TRI. Magnus præterea numerus pictorum ac statuariorum hîc inhabitat, qui tota mente in hanc incumbunt curam, vt huius Prouinciæ loca omnia, suis picturis, imaginibus, ac statuis, Deum, Christum, Mariã virginem, Angelos & papisticos diuos referentibus exornent: quo istiusmodi simulachra tanquã volumina quæ-

dam

dam sint, quæ simpliceis viros doceant, ipsorumque memoriæ vtcunquè inseruiant.

BER. Vetat seuerissimè diuinum præceptum fingi formariue simulachra, & nihilo secius tamen hîc nõ modo finguntur formanturue, sed insuper à Compluribus etiam adorantur. O nõ ferendam idololatriam Seres olim ac Persæ, plurimęque aliæ gentes: Quin & Numa Pompilius Rex romanus dijs fieri simulachra suis in regionibus prohibuerunt, & hi qui Christi nomine censeri volũt, in cunctis Prouinciæ suæ locis aduersum Dei voluntatem omnis generis imagines & erigunt & adorant. Præter hæc nusquam inuenitur Iesum Christum suis dixisse discipulis diuinarum rerum institutionẽ ac memoriã in picturis ac simulacris diuorumue reliquijs, Vẽrum in Euangelij sui annunciatione consistere.

TRI. Quæso te Bertuci ne meam recitationem susurrationibus tuis interpelles.

BER. Quæso te uicissim mi Tripho ne huc aduertas animum, sed institutum tuum liberè prosequaris.

TRI. Quã plurimi Administri suauissimã hîc vitam degentes has reliquias, hæc signa, atque has picturas asseruant, preciosissimis omne genus ornamentis expoliunt, ac religiosis huiusmodi lenocinijs, illecebrisque ad eleemosinarum maiorem cumulum captandum homines inescare non cessant, Ut Czestochouiæ.

BER. Quam iniquũ proh dolor est hoc, Iesum Christum Dei verissimam imaginem, sanctorumque omnium sanctissimũ, suis in pauperibus hîc miserrime nudum incedere, & pseudo reliquias nescio quas atque imagines, quæ idola sunt iniussu Dei prolixè cumulateque in propriam utilitatem adornari, ac rerum huiusmodi Architectos

ctos in hoc vlcere tanquam vngueis existere.

TRI. Omnino permolestus es Bertuci cum tuis susurrijs. Tandem quiesce si libet.

BER. Non sum apud me. Ita curis quibusdam peculiaribus distrahor, vt imprudens identidem in verba prorumpam. Verũ posthac vocem sic demittam, vt ne amplius interturbari per me queas.

TRI. Hisce diuis eorumꝗ reliquijs, ac simulacris die noctuꝗ honoris causa lumina accendũtur: Odæ, Hymni, aliæꝗ id genus egregiæ laudes præclaraꝗ synodia, musicis quoꝗ sæpius adhibitis instrumentis canuntur: Thura, suauissimiꝗ odoris thymiamata adolentur: capita religiosissimè aperiuntur; vota, supplicationes, precesꝗ submissis genibus humiliter offeruntur: omnia beneficiorum genera studiosissimè hinc efflagitantur, in ægretudinibus, in indigentijs, cunctisꝗ alijs & necessitatibus, & humanarum miseriarum casibus auxilia expetuntur: deniꝗ certa fiducia speratur, ac firma spe quæritur vt horum patrocinio diuorum mala omnia euitentur, ac bona omnia tam hîc quam in futuro seculo comparentur.

BER. Eiusmodi cultus vni deo exhibendus erat: quapropter qui hoc ipso quicquam aliud quam eundẽ veneratur Deum, sine vlla dubitatione idololatra est. Nam si inter idololatras est numerandus, vt meritò numerandus est, qui deum aliter quam ab ipso institutum est, adorat, quanto ille magis erit idololatris ascribendus, qui aliquid aliud, quam Deum ipsum contra ipsius præceptum adorat? Haud secus hac via nunc Diabolus quærit se in his diuis, in his reliquijs, inꝗ his imaginibus adorari, quam in gentium Dijs atꝗ idolis quondã

fecerit:

fecerit. Quis obsecro non videat Sathanam sub ijsdem papisticis diuis Superos, Inferos, Medioxumos, Lareis, Tutelareis, Genios, atque alia omnia veterum gentium numina contexisse? Diuinæ literæ non nisi vnum mortalibus omnibus Aduocatum, patronum, ac deprecatorem, nempe Iesum Christum proponunt, qui solus & aduertere mala omnia, & bona omnia conferre posit: neque per aliud quam per Dei nomen iurare, idque tantummodo quum est opus, permittunt. Qui aliter sentiunt perniciosissimis inuoluuntur erroribus.

AM. Recita Tripho. Quid cessas?

TRI. Animum recipio: etenim me tam longa recitatio penè iam defatigat. Hîc votiua omnis generis anathemata, donariaque aureorum atque argenteorum vasorum, præciosarum vestium, armorum, statuarum, Oscillorum, imaginum ac tabellarum cum suis inscriptionibus & suspensa tholis, & sublimè fixa, & humi iacentia, uisuntur: quæ omnia sunt publicè varijs in locis ob id exposita, vt & miracula, quæ crebro hîc fiunt, & quę impetrantur inde beneficia testificentur.

BER. Immò vt errores, quibus hîc homines ducuntur, & Ministrorum, qui locis his præsunt, auariciā proferant. Nam tales Ministri non solum miracula fieri per hæc loca & fingunt, & inuulgant: Verumetiam ijdem ipsi aliquoties Promethei, Telchines, & Architæ facti, suis manibus imagines ac signa formant, quæ dein de ficta miracula per se edant, vt his impostu is, ac fictis in homines fabricis ad suū ipsorum quæstum abutentes totum orbem fraudulenti expilent.

TRI. Et ne in beneficijs, ac subsidijs petendis errare contingat, singulis fermè rebus diui hîc singuli præficiuntur

untur adeò vt Is aëris, Ille ignis, hic pluuiæ, Ille serenita-tis curam habeat: Alius Mari, Alius continenti præsit, ac suo cuique tam maris quam continentis loco suus itidem diuus conseruator assistat. Huic humanorum corporum. Illi animorum concreditum est patrocinium, sic tamen vt ipsorum corporum vnumquodque membrum sibi separatim fauentem suum diuum agnoscat. Hic nauigantibus. Alter bellum gerentibus, Is coniugium appetentibus, Ille verò meretricibus, Alius mercaturam etiam cum iniquo fœnore exercentibus, Alius auidis agricolis dexter adest. Irrationalium quoque animantium singulæ propemodum species singulis seorsum diuis custodiendæ mandantur. Verum præ cæteris hîc diuis omnibus Deiparę Virgini numinum ingens cumulus attribuitur, vt vel sola rebus ferè omnibus præsit, sola cunctas gratias, quas vocant, ipsa distribuat, quò hac distribuendi molestia suum liberet filium. Præterea partim Lugdunense concilium, partim verò piæ quorundam hîc hominum intentiones horum vni cuique diuorum suos dies festos assignauere, qui statis ceremonijs, varijs cantilenis, musicisque sonis, Venereis ludis, & saltationibus, iucundis compotationibus, crapulis, & saliaribus cœnis, alijsque religiosis eiusdem generis oblectationibus celebrentur. Insuper statutum est, vt qui festis his diebus ad consecrata diuis ipsis templa, sacella, altariaque accedant, nenias (venias dicere volebam) criminumque condonationes locis illis á Pontificibus concessas abundè consequantur.

BER. Qua in re obsecrò hi diui à gentiũ dijs, excepto nomine differunt? An nõ idem cultus his nunc exhibetur, qui quondam illis etiam exhibebatur? O æthnicam

nicam idololatriam.

TRI. Inter eos qui hancprouinciam incolunt, nonnulli sunt, qui non contenti his diuis, his reliquijs, hisque simulachris, quæ nata domi iam habent, Vxoris, Liberorum aliarumque omnium suarum rerum abiecta cura, summo cum familiæ familiarisque rei dispendio peregrè proficiscantur, vt alibi celebreis & diuos & reliquias, & simulàchra inuisant, præsertim verò eas aut Christi, aut Mariæ virginis, aut alterius diui alicuius imagines, quas per aliquem impostorem fuisse locutas, aut sudasse, aut illachrymasse, aut nutu aliquid indicasse, aut alioqui alia miracula edidisse inuulgatum sit: Indulgentiasque quas vocant, his pariter locis á Pontificibus largitas secum referant.

BER. Quam non vanis modo, sed impijs etiam cogitationibus huiusmodi homines exagitantur, vt ab ipso Deo sibi commissas res curare non curent, ac stultisimè contra Dei voluntatem ad falsa quædam inquirenda miracula procul à suis ædibus abscedāt. Quasi verò non & simulachrum Apollinis, Hierapoli, Orphei quoque in Pieria, & Memnonis in ægyptijs, Thebis, & Fortunæ via latina prope Vrbem Romam, ad hæc signa ex Delo insula per Verrem euecta, asportataque, nec non alia innumera idola miraculis excelluerint, si tamen malorum Dæmonum præstigiæ miracula dicenda sunt, quanquam etiamsi vera essent ea miracula, quæ prouinciales hi sua illa peregrinatione quærunt intueri, non tamen alia de causa fieri permitterentur, quam vt ipsorum (quoniam diuinarum scripturarum simplicisimæ veritati non credunt) stabilirentur errores. Verum omnino & ficta & falsa sunt, quum quia

in nullam Euangelicæ doctrinæ confirmationem fiunt, tum verò quia in Dei ac diuorum cultum humanitus excogitatum contra ipsius Dei verbũ (quod sanè Sathanicum est) misellos homines inducunt, ac demẽtant.

AM. Frequenter cessas mi Tripho: cur nõ recitas?

TRI. Adeò copioso pituitæ defluxu nõnunquam laboro, vt vix attrahere spiritum, nedum liberè loqui valeam: pergã tamen. Hanc prouinciam olim maximo bello Vigilantius Gallus inuasit: ac potissimum eiusdem prouinciæ pars illa quæ simulachra, atque imagines continet, multò acrius ab Epiphanio Salaminæ Episcopo, ab Imperatore Leone Isauro, atque ipsius filio Constantino eius nominis quinto, á Cõstantiniano Concilio per hunc ipsum congregato: ab Elibertino itidem concilio, á Cõstantino etiam huius nominis sexto, á Sereno Massiliensi Episcopo, alijsque quamplurimis hostibus grauissimis quidem illis diutius est impetita: Sed nihilominus tamen denique victrix euasit, propterea quod hanc ipsã Gregorius tertius, Paulus primus, Stephanus tertius, aliquotque alij Põtifices Romani, adiunctis vna sibi & Italico & Niceno secundo, & Lateranensi, & Francofordiensi Concilijs: Fauentibus item Imperatore Theodosio Atramiteno, imperatrice Hirene Galliarum rege, Germano Patriarcha, Gregorio Cyprio, Ioanne Damasceno, atque alijs ea tempestate doctis viris, hanc inquam ipsam ità validè tutati sunt, vt liberam illi demum victoriam pepererint. Quamuis hæc ipsa victoria perniciosissimam ruinam secum traxerit, Nam per has contentiones Christianorum imperium diuisum fuit. Eiusdem enim Gregorij tertij Pontificis opera, quæ ipsius imperij pars ad occidentem, ab ea, quæ in Orientem vergit

git cum maximo Reipublicæ Christianæ dispendio pœnitus dirempta est.

BER. Plerunque ita fieri solet, vt maior pars vincat meliorem.

TRI. Tertia prouincia, quæ piorum locorum ædificia nuncupatur, quæque secundę iam dictę contermina est, quinque concludit in se vrbeis proprijs nominibus ità distinctas, vt prima quidem Cœnobiorum ædificatio, Altera Templorum extructio, Tertia Sacellorum constitutio, Quarta, Anniuersariorũ institutio, Quinta Xenodochiorũ positio, appellentur. Constructas autem fuisse constat à finitimis populis, qui Diuorum cultum Prouinciam incolunt. Quorum sanè quidam priuatæ religionis gratia, nõnulli quod ad id sese votis obstrinxissent: Complures impetrandæ suorum peccatorum veniæ causa, non pauci aliqua spectri alicuius aduentitia visione impulsi, huc se contulerunt, atque eiusmodi fabricas exædificarunt, vt ijsdem de causis plurimi etiamnum quottidie se recipiunt, &, vel iam ædificatas augent fabricas, vel nouas ædificant ipsi. Atque hinc fit vt inter sese quibusdam veluti vinculis hæ duæ prouinciæ ità connectantur, vt multis in rebus altera ab altera non facilè discerni distinguiue possit. Quam etiam ob causam Liberum Arbitrium Rex ambabus vnam et eandem Gubernatricem, nimirum Superstitionem egregiam Heroinam præfecit, quæ quidem suis peculiaribus iussis vrget, atque efficit, vt papistici tam diui quam diuæ cũ suis et reliquijs & simulachris, vtraque in Prouincia summa cum veneratione ac timore rogentur inuocentur, adorentur, & in patronorum loco ab omnibus habeantur.

BER. Audiui sæpenumero qui assererent, asserere Hesiodum in sua Theogonia, triginta Deorum millia inueniri, qui passim per orbem antiquitus colerentur. Sed vt mihi persuadeo papisticorũ, vel Sathanicorum potius diuorum qui nostra tempestate his in prouincijs adorantur, numerus multò maior existit. Sathanicorum autem dixi, propterea quod ipse Sathan in lucis angelum sese transmutans, modo Iesu Christi, modo Mariæ virginis, modo alicuius diuorũ diuarumue formam induit, seq; sub eiusmodi personis variè venditãs miseris mortalibus infeliciter imponit, non minus nunc appetens templa sibi & sacella atq; aras ad adorandum construi, quam olim in gentium numina sese transformans, ac perquam multis ostentans expetiuerit: quemadmodũ cum Seleuci Regis vxore Stratonice, nec nõ cum AEgypti rege Ptolemæo, multisq; alijs hunc fecisse memoriæ proditum est. Vtinam hisce tam graui errore inuolutis hominibus, quando nulla alia ratione reuocari se inde patiuntur, saltem aliquis contingeret Dæmogorgon, qui deceptrices has laruas & seipsas & suas pariter imposturas prodere compelleret, Ii, qui re vera sunt diui, talem sibi cultum exhiberi non sustinent: Quin ne ipse quidem verus deus manufacta sibi templa vult extrui, quum nos ipsos, atq; adeò corda nostra solummodo pro templis, in quibus inhabitet, sese habere testetur. Sed vide Bertuci ne crabrones hos irrites. Nam si te horum aliquis hîc alicubi prope audierit hæc loquentem, actum scilicet est, peristi.

AM Hactenus exempla suis archetypis optimè respondent. Iam celeriter expedi Tripho quæ restant.

TRI. Quarta prouincia, quæ Pœnitẽtia dicitur, treis

itidẽ

itidem Vrbeis comprehendit. Quarum Prima, Contritio, Altera, Auricularis Confeſsio, Tertia Satisfactio nuncupatur. Harum autem in eam, quam nunc habẽt, formam condendarum ſcholaſtici Theologi, atq; vna cum ijs Canoniſtæ non ita pridẽ authores fuere. Quanquam in Auriculari Confeſsione, quod ad ipſam ſeorſum attinet extruendã, ſunt, qui non vereantur aſseuerare, prima fuiſſe à Ieſu Chriſto per ſuos Apoſtolos iacta fundamenta: poſtea verò in eam conditionem, in qua nunc eſt, ab Innocentio Papa huius appellationis tertio, Lateranenſi Concilio ſimul opem ferente, fuiſſe redactam, atq; id quidem per excellentiſsimum ſanè Architectum, Omnis vtriuſq; ſexus, vocatũ natura hermaphroditum: Qui multo melius iſthanc ipſam quam Dinocrates Alexandriam ad ſuum arbitrium deſignauerit fabricatuſq; ſit, atq; ad omnis generis merceis, conſcientiarumq; præſertim pertractandas, ampliſsimũ hîc emporium patere voluerit. Quamobrem etiam idem Innocentius iuſsit, vt omnes quicunq; papiſticæ monarchiæ ſubijciuntur imperio ſiue mares, ſiue fæminæ ſint, quum ad idoneam ætatem (annos diſcretionis ipſe vocat) peruenerint, quotannis vel ſemel in hanc vrbẽ ingrediantur atq; inibi benè ſubducta ratione quicquid in hisce conſcientijs, alijsq; mercibus pertractandis, egerint, dixerint, aut etiã excogitarint, ſuis inſuper ad vnãquanque rem adhibitis circumſtantijs confiteantur: Id quod in maximum lucrum variasq; commoditates plurimorum ex grege tam Reuerendiſsimi Cleri, quam monachatenſis prouinciæ populorum cedit: qui ligandis ac ſoluendis huiuſmodi merciũ ſarcinis præfecti ſũt: Quibus etiam non modo tabernarum, vbi ſeruãtur hæ

merces

merces, verũ & regni cœlorum concreditæ sunt claues.

BER. Nemo est qui ambigat in maximum & lucrum & commodum istorum id cædere: atq; hanc mercaturam ipsis esse oppidò quam quæstuosam, quam ex huiusmodi occasione virorum ac mulierum omniũ arcana omnia, vnde sibi ipsis ingentia mox emolumẽta summasq; voluptates in loco parent, expiscari cõsueuerint.

TRI. Hæc eadem Prouincia fabris quibusdam lignarijs referta est, qui secundis tabulis, quas vocant, conficiendis incumbunt: Quibus, qui post receptum baptismа naufragiũ fecere, periculo liberẽtur, vt Hieronymus Dalmata primus inter hos artifices architectatus est.

BER. Heu quam malè Baptismatis vim agnoscunt, & quam parui æstimant Christi mortem, qui secundis istiusmodi tabulis aliquid tribuunt.

TRI. Quinta Prouincia, quæ Ieiunium nominatur, Sex Vrbeis complectitur: Quarum prima, Quadragesima: Aduentus altera: Tertia Quatuor tempora: Quarta Vigiliæ de præcepto: Quinta Abstinentia in die mercurij, veneris, & sabbati: Sexta Abstinentia ob deuotionem peculiarem appellatur. Et Quadragesima quidem ab Apostolis, vt nonnulli seminarunt, vt vero alij abs Thelesphoro põtifice Romano fabricata est. Quanquam Is hanc patere latius, ac Septuagesimam vocari prius voluerat. Sed vtut se habeat, vel ex hoc satis constat, eam esse nobilissimam ciuitatem, quod egregius heros ille totius papisticæ monarchiæ facilè princeps, Carnispriuium dictus, hinc originẽ duxisse certum est: Id quod inde quoq; animaduerti potest, quod etiã nũc idem heros vrbis ipsius aditum ac vestibulum incolit: Vbi & quotannis aliquos dies magnifico luxu, lautisq;

conui-

conuiuijs, & compotationibus viros ac mulieres omnes accipiens prolixè, voluptuosis delicijs, & deliciosis voluptatibus illos replet, gaudioq; sic vndiq; delibutos reddit, vt per id temporis vnà omnes inuerecundam operam, & cantilenis, & sonis, & choreis, & tripudijs, & saltationibus, & genus omne lasciuijs, inhonestissimè, impudentissimè, atq; impudicissimè nauent. Cæterum exactis huiusmodi bachanalibus cuncti demum in Vrbē ingrediuntur per portam quæ superum limē cineribus aspersum habet. Porrò ingressi ad mercaturam faciēdam paulatim aggrediuntur, ac vendendis, emendisq; potissimum quibusdam versicoloribus pellibus pardorum instar variegatis, quæ Conscientiæ vocantur, quadraginta sex continuos fermè dies incumbunt. Aduētus itidem Oppidum ab apostolis exædificatum perhibetur, licet admodum à Quadragesimę nobilitate atq; excellentia procul absit. Nam in hoc ipso nō nisi ferè ignobiles quidā è Monachatu Prouincia viri, fœminęq; versantur. Quatuor temporum Vrbecula romani pontificis Callisti, siue vt alij opinantur Vrbani opus extitit: quæ nihil aliud celebritatis habet, quam quod illi concessum est ipsius Papæ munere, vt quicunq; sub Reuerendissimi Cleri potestate atq; imperio in aliquē dignitatis gradum sint ascensuri, non nisi intra ipsius mœnia (excepto sabbato, quod vocant, in Albis) valeat authorari. Vigiliæ de præcepto & abstinentia in die mercurij, veneris, & sabbati Vrbes à pontificibus romanis, patrumq; Concilijs ambę sunt conditæ: idq; optimis sanè de caussis, nempe quod ad Vigiliarum Vrbem attinet, vt quorundam latrunculorum qui noctu ea loca peruagantes detrimenti plurimum inferebant, mali mores, ac Dec. Dis. 76.

prauę consuetudines tollerentur. Quod verò ad alteram pertinet, vt in ipsa veluti quodam in theatro spectaretur, quemadmodum Iudas mercurij die Christum prodidit: Quemadmodum veneris die idem Christus affixus est cruci, & quẽadmodum sabbato ipsius Christi corpus iacuit in sepulchro: Quod postremum ab Innocentio eius nominis primo Pontifice Romano tanquam si auctarium sit, est adiectum. Vrbs autẽ Abstinentia ob deuotionem peculiarem, è religiosorum virorum opinationibus emersit: Quam quidem eorum posteri non cessant etiam nunc augere, quò iuxta consuetudinem à suis maioribus acceptam, factis huiusmodi debitorem sibi Deum constituant, suisque hunc nominibus ascribant.

BER. Vt sine ratione autoritas, itá sine veritate consuetudo, vt quæ inueteratus error sit, plerũque obest.

TRI. Ingens in hac prouincia & olei, & piscium, & leguminum, & herbarum, & radicum, & omnis generis fructuum mercatura fieri consueuit, propterea quod Inquilinis vetitum sit carnibus, ouis, & lactarijs vesci, nisi si quis fortè vescendi veniam numeratis pecunijs á Romano Pontifice sibi redimat.

BER. Quò magis id, quod paulo ante dictum est, Quadragesimã & Aduentum Vrbeis ab Apostolis fuisse constructas, quia diuinis è scriptis auctoritatem non habet, falsum esse conuincitur: hoc magis dolendum est, quum Satanicum vigere præceptum cibos vetans quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, tum illud idem emptoribus pecunia relaxari. An non liquidò hinc aparet, Papæ leges nihil aliud esse, quam retia ex harpyiarum pellibus ad nummos

mos capiendos contexta?

TRI. Parcite obsero si tam festinanter quam optaretis, non recito: Nam omnino necesse est me nonnunquam spiritum recipere. Attamen vt potero pergere non desistam. Montanus hæreticus prouinciæ huius rector est. Etsi Summarum quas vocant, compilatores alioqui eius curam Adamo atq; Heuę tūc fuisse demandatam autumant, quum illis interdictum fuit, ne pomū ex arbore paradisi comederent. Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 28.

BER. Non minus hæc opinio bella est, q̄ ea quam alius quidam eiusdem gregis homuncio de confessionis auricularis vrbis fundatoribus imaginatur, vel somniat potius. Etenim eam Vrbem tunc à Deo fuisse fundatam opinatur, quum Is Adamo atq; Heuę post veti, tum scelus admissum dixit. Adame vbi es? O Lepidi compilatores.

TRI. Sexta Prouincia, cui nomen est, Preces, quinque magnificas Vrbeis includit: Quarum prima, Horæ Canonicæ: Altera, Litaniæ: Tertia, Corona dominæ Quarta, Rosarium: Quinta, Precatio peculiaris dicitur. Horas autem Canonicas vrbem Hieronymum quidē Dalmatam designasse ferunt: Pelagium verò Pontificē Romanum absoluisse, atq; hanc ad leuanda iustorū hominum errata, qui plerunq; septies in die cadere solent, septem spatijs distinxisse, moxq; in eam tum ex Reuerendissimi Cleri, tum ex Monachatus prouinciæ populis ingentem coloniam deduxisse. Cæterum Gregorius eius appellationis primus Romanus Pontifex vnam solummodo portam, quæ, Deus in adiutorium, nominatur, hanc vrbem habere uoluit. Vitalianus deinde Papa symphoniarum & cantorum maximum nu-

merum huc introduxit, qui die noctuq; mirifica vigilantia lusciniarum instar pluribus in locis inter orandum, & ludunt, & cantitant, atq; etiam vocibus velut asininis, nonnunquam rudunt.

BER. Egregius verò precandi modus. Talem sanè Iesus Christus etiam præscripsit, quum patrem suum spiritali cultu, quod is quoq; sit spiritus, adorandum esse dixit.

TRI. In latissimo huius vrbis agro, pulchella quædam oppidula sita sunt. Quorum primum ab Vrbano secundo Pontifice Romano, non sine Claremontensis Concilij calculo constructum Officium Dominæ: Alterum, Officium Spiritus sancti: Tertium, Officiũ Crucis: Quartum, Officium mortuorum, atq; alijs alia nominibus appellantur. Sed quoniam ipsius vrbis diocesi subiecta sunt, nulla de hisce longior hîc fit mentio.

BER. Benè sanè, nam ea prorsus damnosa, nedum inutilis foret.

TRI. Litaniȩ porrò vrbs à Mamerco Viennensi Episcopo primum ædificari cæpta, postmodũ à Gregorio Pontifice Romano paulo ante dicto & auctiore multò, & pulchriore forma perfecta est: ac velut Asylum, aut Oppidum profugij, quod olim vocabant Hebræi, ad omneis humanas calamitates euitandas constituta. Corona dominæ sic à Petro Ambienẽsi heremita, vt & Rosarium ab Alano à rupe Britanno, in hunc finem extructa sunt, vt & viris & fœminis diuæ Mariæ virgini addictis tanquam diuersorium forent. Sedenim Alanus ille, tam imperitus, tam impudens, & quod esset Dominicanæ sectæ, tam sacrilegus extitit fabricator, vt hanc ipsam suam Vrbem, non nisi super falsissima dogmata, atque ementita

emētita miracula fundauerit. Prӕterquam quod etiā nō⸗ nulla ex ficticijs hiſce miraculis adeò inhoneſta adeòq; inuerecunda ſunt, vt audientiū auribus ruborem incu⸗ tiant. Vltima huius prouinciӕ Vrbs à religioſis quum viris tum fœminis exӕdificata eſt: Quorum minores hanc ita ſtudioſè amplificare perſeuerant, vt nobiliſsi⸗ mum etiam portum inibi tandem extruxerint, in quem numerus ingens onuſtarum inſanis cupiditatibus, impi iſq; opinionibus nauium haud intermiſſo curſu ad mercatum ingreditur. Tota deniq; prouincia hӕc bo⸗ nis vbiq; Ratiotinatoribus abundat, qui non in aduer⸗ ſarijs modo, ſed in accepti expenſiq; tabulis quӕ nomi na fecerint, quanquam ſibi Deum, Mariam Virginem ac papiſticos diuos, preculis deuinxerint, optimè dige⸗ rant, ſūmāq; ſubductis rationibus planiſsimè referant.

BER. Quaſi uerò fallere Deus hos velit, aut inani vocum ſtrepitu delectetur.

TRI. Septima prouincia, quӕ Eleemoſynӕ nomine inſignitur, nullas prorſus Vrbeis admittit, ſed ſolummo do terrӕ cultui deſtinata eſt. Etenim ex altera ipſius parte ſpatioſiſsimus ager, ingentia rura, diffuſiſsimaq; arua latiſsimè patent: quӕ vini, ſegetum, oliui, atq; alio rum omnis generis fructuum fertiliſsima ſunt, ac pin⸗ guiſsimis inſuper exuberant paſcuis, in quibus & Aſini & cӕteri greges armentorum optimè atq; abundanter aluntur ac ſaginantur. Ex altera verò parte montes vndiq; eminent, non modo arborum arboreorumq; fœ tuum feraciſsimi, ſed auri, argentiq; ac reliquorum me tallorum fodinis nobiliſsimi. Cӕterum bona pars eo rum, qui hinc hauriuntur prouentuum Reuerendiſsimi Cleri, Monachatuſq; prouinciӕ populis cӕdit. Quod

 qui

qui posſident eos fundos, ità diſtribui hęc bona velint. Nam populi iam dicti fundorum ipſorum poſſeſſoribus, thuris fumum, campanarum ſonos, bellas canciuncu-las ac ſymphonias, ceremoniarum vmbras, commenti-tias benedictiones, ac iuſtificationes, quas vocant, adhi-bitis aqua, ſputo, ſale, oleo, cereis, lampadibus, candelis, cineribus, & crucibus. Ad hæc viſiones ac ſomnia eiuſ-modiq; alia multa minus quam Echo ſubſiſtentia largi-untur, vt ſupraſcriptos reditus inuicem ad ſe attrahant, quò inde poſsint, & opipare, & delicatè, & lautè viuere. Quod ſi contingat eos hoc modo non poſſe peruenire quò tendũt, ſeſe in Protheos, Vertumnos, & Acheloos conuertunt, atq; vbi non ſufficit pellis leonina, adſuitur vulpina, vt uel ſic arte aliqua, id quod ſequuntur, aſſe-quantur. Ita enim Ieſu Chriſti ſententiæ appoſitè ſubſcri bunt, qui dare, quam accipere, dixit eſſe beatius. Quod ex iiſdem prouentibus eſt reliquum, partim piorum lo-corum: partim aliarum prouinciarum populis ad cura-torum arbitrium diſtribuitur.

BER. O bonorum commutationem longè quam quæ Glauci cum Diomede fuit, deteriorem. O bona inquam non benè diſtributa, præſertim ea, quæ Reue-rendiſsimi Cleri ac Monachatus Prouinciæ populis ero-gantur. Nam malè merentibus benefacere, idem ferè eſt, quod malefacere benè merentibus, vt interim de ſuf-fimentis expiantibus hîc delicta nihil dicam.

TRI. Octaua atq; adeò vltima prouincia, Miſſa nũ-cupata, treis nobiliſsimas, ditiſsimas, ac potentiſsimas vrbeis amplectitur. Quarum prima Sacrificium pro peccatis: Altera Oblatio pro viuis ac defunctis: Tertia Applicatio vtilis ad omnia, nominatur. Hæ uero Vrbes

vt non

vt non vno & eodem tempore ſunt conditæ, itâ plureis è papiſtica monarchia viros habuere conditores: Qui quidem omnes, omnibus (quod aiunt) vngulis conati ſunt vniuerſam hanc prouinciam quam ſplendidiſsimam, & quam magnificentiſſimam reddere: quò Ieſu Chriſti Dei & hominis é cœlo quottidie millies huc demigrantis digna ſit habitatio.

BER. Hoc ſymboli, quod Apoſtolorum dicitur, ſententiæ conſentaneum non eſt. Illic enim habetur ſedere Ieſum Chriſtum ad dexterã Dei patris, quoad ſit ad iudicandum orbem reuerſurus.

TRI. Ea de re & Petrus cũ reliquis Apoſtolis, eiuſq́ ſucceſsoribus romanis pontificibus, & Iacobus Hieroſolymarius epiſcopus, vna cum innumeris alijs gentibus, quæ tam per ea, quam per inſecuta tempora hanc incoluere prouinciam, ſumma gloria ipſam decorarũt, ingentibus diuitijs collocupletarũt, latina lingua, & græca, & hebraica Chriſti crucis titulum referentibus exornarunt, lineis, laneis, oloſericis, argenteis, aureis veſtibus Aaronico ſacerdotio non abſimilibus honeſtarunt: Innumerabili precioſorum vaſorum numero in vſus varios diſpoſitorum inſtruxerunt: deniq́ melodijs, ſymphonijs, odoribus, ceremonijs, cultibus, non tantum è veteri inſtrumento, ſed è ſacrificijs etiam ethnicorum acceptis adornauerunt.

BER. Ieſus Chriſtus nouum Inſtrumentum condidit, vt vetus abrogaretur, & nihilominus hi nunc tentant ſuis huiuſmodi ritibus iterum vetus pro nouo reponere. O ſimiolos ineptiſsimos, inſulſiſsimosq́. Præterea quod ad ſuppellectilem ditiſsimam attinet, impẽdio magis expediret, grandem illam talium bonorũ con-

gerięm

geriem pauperibus erogari, quam inutiliter hîc, aut im piè potius adseruari.

TRI. In media ferè huius Prouinciæ parte lucus est implicitus, ac tenebricosus (sacrum canonem appellãt) per quosdam quidem papisticos homines cõlitus: Sed qui ob tetram locorum obscuritatem, nec satis potuerunt internosci, nec vt internoscerentur digni fuerant. Hoc in luco voracissimi quidã inhabitant lupi, qui prætereuntes conspicati priusquam conspiciantur ipsi, adeò illis adimunt vocem, vt quandiu transeant, aut non loquantur, aut si id fiat, audiri minimè valeant.

BER: Syluam Nemeam non ità periculosam viatoribus extitisse crediderim quam hæc sit.

TRI. Huius autem Prouinciæ reditus Reuerendissimo Clero ascripti sunt. Quapropter quum Is in hãc ipsam & ex eo Curiæ suæ, qui Sacerdotes continet, ordine, & ex monachatensibus populis, vt Innocentius ac Bonifacius pontifices romani concesserunt, insigneis colonias deduxerit, illis municipali iure donatis permisit, vt inde, quam maximam possent, prouentuum copiam colligerent. Et sanè prouentus hîc prorsus vberrimi sunt, propterea quod non ex alijs modo bonorum operum regni partibus, verumetiam ex vniuersa pariter Papæ Monarchia frequentes huc hospites in ipsius prouinciæ lucrum maximum confluant. Is autem concursus multis de causis fieri cõsueuit: primò quidem vt Iesus Christus hîc præsens corpore conspiciatur: deinde verò, quò sic venia, preteritorum criminum impetretur, vt meritorum etiam cumulus in cœlis augeatur: postremò vt tã viuentibus, quam vita functis abarceri mala omnia, conquirique bona omnia

Missa est sacrificulorum Mnaas.

queant

queant. Verum hîc non ignorandum est Reuerendissimum Clerum frequenter has colonias per eos, in demortuorum loca qui petant, instaurare. Quod quidem vtique quum fit, incredibile est quanto gaudio, quantaque lætitia, omnes quicunque adsunt, afficiantur. Nam tunc luditur, canitur, saltatur, potatur, modisque omnibns Genio prolixè atque hilariter indulgetur. Cæterum ne contingat, vt, qui hanc prouinciam frequentant, hospites, impuræ, luxuriosæ, atque improbæ sacerdotum incolentium vitæ infensiores facti, quæ huc afferunt emolumenta, subtrahere aliquando cogitent, Opus operatum Heros, quem Papistæ in Principibus esse facilè patiuntur, cuique ipsius prouinciæ ab Reuerendissimo Clero seorsũ cõcredita est cura, ijs isdem pro sua singulari prudentia persuadet sua virtute fieri, vt nihil eorum, quæ huc importantur, illis depereat, etiamsi sacerdotes ipsi nequissimè ac flagitiosissimè (vt nemo non videt eos viuere) viuant. Ea re fit, vt ne numulus quidem de solito quæstu deperdatur.

BER. O callidos & acquirendorum lucrorum & cõparandarum voluptatum artifices & architectos. Nullus hic aulædus, omnes omnino citharedi sunt.

TRI. Huius prouinciæ populi azimo pane vescuntur, ac vinum aqua dilutum bibunt: quemadmodum Alexander vel primus, vel tertius, aut vt alij quidam volunt, Clemens itidẽ tertius romani pontifices iusserunt. Quanquam sibi persuadeant, panem hunc suum, in corpus, ac vinum, in sanguinem Iesu Christi transmutari, cõceptis videlicet quibusdam verbis, quæ ipsi submissa voce, atque animo huic rei destinato his insusurrant. Huius autem operis efficiundi facultatem ab Episcopis, qui ad

id muneris illos consecrarunt, accepêre: qua quidem potestate diua etiam Maria virgine præstantiores hac in parte facti, Iesum Christum veluti quendam Elicium Iouem è cœlo deducunt, ac suum panem, in eius corpus, vinumq; in sanguinem transformant, itaq; transformatum & adorant ipsi, & alijs adorandum proponũt. Mox ad ostendẽdam triformis Christi corporis Herili ac Gerionis instar naturam in treis parteis ad Sergij secũdi romani pontificis institutionem hoc diuidunt: atq; harum quidem partium viuis vnam, alteram defunctis, tertiam beatis addicunt: qui sanè beati hanc ipsam vino maceratam sibi offerri volunt. Insuper, quæ ipsorum charitas est, ex alijs quoq; regni prouincijs quamplurimos ad secum nonnunquam edendum inuitant: Quin quod pluris faciendum sit, etiam imperant, vt omnes quotquot ad idoneam ætatem peruenerint, Auricularem confessionem Vrbem permeántes, semel quotannis ad secum vnà sumendum cibum se recipiant, vt Lateranense Concilium ordinauit: quoniam ille ipse cibus cœlestem gratiam sumentibus conferat, neque sit opus ad id peculiari fide, modo ne alicuius capitalis criminis obstaculum adsit. Atenim vt in hoc solenni conuiuio eundem quidem panem, quo & ipsi vescuntur, discumbentibus apponunt, ita eodem vino illis vti non permittunt, vetante nimirum id Constantiensi concilio: ne forte contingeret ex hoc aliquid in terrã effundi: quod apud eos piaculum vix expiabile foret: Immo si id fieret ne vix quidem: præterquam quod etiam Vasa & mantilia, quibus ipsi vtuntur, alijs vt ne vel attingant, interdicunt, eo enim contactu Deum offendi & opinantur & prædicant.

Vnde versus apud magistrũ sententiarum. Hostia diuiditur in parteis: tincta beatos Plane sicca notat viuos: seruata sepultos.

Quum tamen Jesus Christus non dubitauerit verum suũ sanguinem nostri causa in terrã effundere.

Ber

BER. Quemadmodum homines hi falsò sibi persuadent rerum naturas veluti, Circem, Medeam, Mellissamque transmutare, ità verè testamenti à Iesu Christo inter cœnandum conditi præscripta transmutant: Christus nanque constituit, vt sui omnes quotiescunque libuerit, ex eodem pane comedant, atque ex eodem poculo combibant: At hi Christo ipso sapientiores inuertũt hæc omnia. Profectò sicuti dolendum est, hos magos ac præstigiatores hac falsa panis & vini in Christi corpus & sanguinem transmutatione mortalibus imponere, ità non minus ægreferendum quod vinum è conuiuio subtrahant, quod ordines à Christo dispositos immutent, & quod rerum externarum contactu liberas conscientias, criminis reas faciant.

TRI. Vix equidem recitare iam possum, ita me pituitæ profluentia nunc opprimit: nihilominus certum est, quo ad perfecero, non desistere. Iidem populi suo ex hoc cibo quottidie aliquam partem sacrificant, atque illam sub Ecclesiæ persona offerunt Deo. Ex ea quoque in vnius aut etiam plurium gratiam edunt, ac sic demũ ex hac vtilitatum suarum mercaturam quandam faciunt. Isthancipsam verò mercem non solum emere volentibus tanquam Institores exponunt, sed mira quadam arte qui emant, alliciunt, asserentes hanc viuentiũ mortuorumque hominum, nec non etiam irrationalium animantium, morbis omnibus, cunctisque necessitatibus & remedio præsentaneo, & auxiliario adminiculo esse. Nam quid referam quod hanc eandem, & ad matrimonium contrahendum, & ad liberos procreandos, siue mares, siue fœminas malis, ad itinera tam terra quam mari conficienda, ad bella fœliciter gerenda, ad

Mutabilior Erisicthonis Metra: et lucrosior.

amiſſas res inueniendas, ad ædifitia conſtruenda, ad prædam in venatione capiendam, ad immoderatas prauaſq; tempeſtates abarcendas, ad omnia deniq; pro voto conſequenda, etiamſi magicis artibus tentanda forent, hanc eandem inquam valere, ac vim, pondus, momentumq; habere ſerio aſſeuerant: vt in ipſorum codicibus, quos Miſsales nominant annotatum eſt. Quid: quod nullum inueniri precium, quod ipſius valorem æquet, adiurant.

BER. Accedo ſanè vt verum dicant, quum nullius in ſe precij hæc ſit, quamuis ingentem illis vndiq; lucrũ afferat. Verum id intolerabile eſt prorſus, quod hoc impio ſuo mercatu Euangelicas conciones impediunt: Chriſtianam pietatem extingunt, & quod in ipſis eſt, vanam & inefficacem Chriſti mortem efficiunt, quum peccatorum condonationem, quæ ſolius in ſolidum Chriſti eſt, ſceleratis, ac ſacrilegis his ſuis mercibus attribuunt.

AM. Si putaſſem Tripho te tam impeditum ſpiritum habere, moriar, niſi alium qui recitaret, aduocaſſem notarium: Sedenim quando non itá procul à meta iam abes, dimidia plus parte recitata, incœptũ perfice, vtut potes.

TRI, Itâ faciam. Ex eodem hoc cibo ijdem homines particulam aliquã precioſis incluſam vaſculis, quæ etiam vaſcula in ornatiſsimis quibuſdam per templa tanquam cellulis reponunt, accenſis propè lampadibus adſeruant, vt ægros morbo graui, ſiquidem id ipſi petierint, inde recreent, ac reficiant, quẽadmodum Honorius tertius Pontifex Romanus eos facere & edocuit, & imperauit. Inſuper eiuſdem cibi partem itidem aliquam vaſculis (Tabernacula vocant) incluſam ſemel

Lib. 3. Decretal. Tit: De celebr: Miſſ. Et De conſecratiõe Diſt. 2. cap. Preſbyter. Et in Cle: lib. 3. Tit. 16. Cap. Si dominum.

quotannis eo die, quem ex Thomæ Aquinatis cõsilio Vrbanus quartus Pontifex Romanus his epulis, vt Athenienses olim Apateriam Melantho, consecrauit, per suæ ipsorum ditioni subiecta loca omnia sub Vmbella nitidissima circũferunt. Atq; hoc ipsũ quidẽ spectaculum nõ modo Prouinciales ornati splendidissimis vestibus, verũ etiã ex toto vndiq; bonorũ operum regno populi confertissimi cereos accensos manibus gestantes comitantur: Vbi pariter videre est, & plateas, & cõpita omnia floribus, sertis, corollis, odoribus, cantilenis, symphonijs, curriculis, Tensis, pegmatibus, ludis, cunctisq; lasciuijs referta. Quibus ludicris ceremonijs demum peractis, hilares omnes, ac læti, heroinæq; Indulgentiæ gratijs in capita distributis benè saturi domum reuertuntur. Præterea quoties Papa purpuratis Cardinalibus auratis gemmatisq; mulis insidentibus, alijsq; suis creaturis comitatus, pompa splendoreq; plusq; triumphali, tubis, tibijs, lituis, timpanis, bombardis, assistentiumq; plausibus perstrepentibus, aut eques, aut aurata sella, per cathedralitios ministros latus in publicũ prodit, ex isthoc ipso cibo minutula portiuncula precioso similiter vasculo conclusa super gradarium equum, ardente in laterna funali disposito ante ipsum publicè præfertur.

BER. Abominandum scelus est, non vti, sed peruersè abuti, vel potius profanare hoc modo cibum illum, quem Christus in sacrosanctam modo pro nobis obitæ mortis memoriam sumendum instituit. Nam quum Is eo suos discipulos pauit, non vt illum sacrificarent, ex illo mercaturam facerent, illum huc & illuc per vias ferrent, aut gurgustiolis includerent ad adorandũ man-

dauit, ſed ſolum dixit. Accipite,& comedite, videlicet indicans in quem uſum nobis cibum ſuum relinqueret, nempe vt illum comederemus, propterea quod qui hunc non edit, non habet in ſe vitam, etiamſi millies quottidie ſacrificet & adoret. Verũ hi populi mea quidem ſententia ex eorum numero ſunt, qui dicunt, ecce hîc, ecce illîc eſt Chriſtus. Atenim quid ipſe Chriſtus ait? nolite credere, quandoquidem is iam non carneo, ſed ſpiritali modo vult á nobis & cognoſci & comedi.

De Tranſubſtãtiatione primũ eſt cœptum diſputari circiter annum domini 840. vt ex hiſtoriis videre eſt.

TRI. Omnino reſpiratione deſtituor, Vnum hoc me ſolatur, quod velut è pelago litora conſpicatus, nauigationis huius terminum propinquum eſse iam ſentio. Poſtea verò quàm huius prouinciæ populi, panẽ ſuum in carnem, & vinum in ſanguinem Ieſu Chriſti tranſmutare (quod tranſubſtantiare ipſis eſt) incœperunt: atq; accidentia ſine ſubiecto, vt ijdem loquuntur, inde conficere, mirum quam ingens illis illatum eſt à quamplurimis hoſtibus bellum, præſertim autem à Bertramo Gallo, à Ioanne Philoſopho, qui Scotus eſt cognominatus, & a Berengario quoq;, licet nõ continuo tempore: Nã hi omnes euincere contendebant, prouincialium horũ eiuſmodi tranſubſtantiationem á Ieſu Chriſto nunquã fuiſse inſtitutam, neq; poſt ipſum longo temporis interuallo in orbem vnquam introductam. Atq; illos, qui hanc ipſam introducere voluerint, falſarios extitiſſe aiebant: ideò quod à Chriſti morte nulli hominum vere licuerit amplius vti verbis, quibus ipſe dum viueret, ac ſuos inter cœnandũ alloqueretur diſcipulos, eſt vſus. Etenim cum dixiſset: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, & hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur, vtiq; tradidit ſuum corpus in mortem, ac ſuum

ſanguinẽ

ſanguinem pro ſuis fudit. Nunc verò qui vel iiſdem verbis vti, mentiatur neceſse eſt, quoniam nō poteſt amplius Chriſti corpus in mortem dari, nec ſanguis eius in peccatorum remiſſionem effundi, quum ipſa remiſſio peccatorum vnica ſui ipſius oblatione ſit in perpetuum facta. Quo igitur pacto, inquiunt, panem in Chriſti corpus, & vinum in ſanguinem vi verborum tranſubſtātiare, poterunt (vt non minus falsò ſibi perſuaſerunt, quam barbare loquantur) quum in referendis Chriſti verbis mendaces inueniantur? Sedenim ex oppoſito Prouinciales ipſi quamplurimos quum Duces, tum milites auxiliareis nacti, nimirum Leonem, nonum Victorem, Nicolaum ſecundum, Gregorium ſeptimum, & Innocentium tertium Pontifices romanos, cum ſuis ipſorum Concilijs, nēpe Romano primo, Vercellenſi, Florentino, Thuronenſi, Romano ſecundo, ac Lateranenſi. Ad hæc Paſchaſium, Lanfrancum Cantuarienſem Epiſcopum, Rogerium, Guimundum auerſanum Archiepiſcopum, Gratianū Decretiſtam, multosq́ alios monachatenſeis doctores: Albertiſtas, Thomiſtas, Schotiſtas, Egidijſtas, Occaniſtas, nominaleis, ac realeis, nacti inquam per ſuccedentia tempora, hanc ſociorum tā validam manum inſigni victoria potiti ſunt. Cuius quidem victoriæ, vt poſteris memoria proderetur, diligentiſsimè curarunt, vt Innocētius tertius paulo ante ſupra iam dictus pontifex romanus hanc tranſubſtantiationē etiam miraculis comprobatam, articulis fidei, quos vocant, ſic adiungeret, vt diris omnibus deuotus haberetur hæreticus, quiſquis eam in dubium reuocare amplius vnquam auderet. Itá hoſtes ad vnum omnes aut oppetiere mortem, aut ſic deiecti ſunt, vt ne mutire quidem

Decretal: De ſumma Trinitate: et fide catholica.

dem contra iam audeant:

BER. Bona verba quæso: Est vero credendum ita se rem habere. Nam non interijsse omnes & ego ipse, & alij mecũ quamplurimi testes sunt, qui hanc plusquã metaphisicam, vel potius plusquam metamorphosicã, vt ita loquar, transubstantiationem, vt falsissimam reprobant, nec de communi hoc errore consentiũt. Quin magis afflati diuino numine pro comperto habent, ac libere profitentur, non edi Christũ nisi spiritu, carnemq́ esse, quæ Christum in carne quærat: nec miracula esse, quæ hic fiant, sed satanæ præstigias hoc pacto molientis efficere, vt aliud etiam, quam quod sacris literis continetur creditu necessarium existimemus.

AM. Diu tecum iam blateras Bertuci, nescio quidnam adsit, aut quidnam absit tibi.

BER. Hic nunc presens absensq́ vnà sum. Francisca no cuidam monacho pollicitus fueram me hodie ex Pœnitentiaria officina in cœnobium aracœlense diploma portaturum, & adhuc tamen hic detineor, id quod sanè malè habet animum meum.

AM. Immo bono animo sis, nam video nos iam ad calcem decurrisse. Tu Tripho quando & vrbium nomina rectè transcripta sunt, ad regni vectigalia recitanda descende: Nanq́ de immunitatibus á Romano Põtifice regi datis, nihil mihi demandatum est (licet eæ quoq́ in his archetypis contineantur) vt aliquod exemplum excerpam.

TRI. Regni vectigalia sic habent. Bonorum operũ regni prouincijs, vrbibus, adeoq́ vniuersæ ditioni certum vectigal, quod Meritum dicitur, impositum est, vnde & pecuniæ innumerabiles exiguntur, & ingentes

reponun

reponuntur thesauri. Alia quoque seorsum vectigalia quibusdam ipsius regni locis imposita sunt, prout ipsorum locorum administratoribus est visum. Separatim verò locus quidam est, ea via, per quā ad cœlum itur, quo in loco munitissimum castrum (Purgatorium appellant) extructum est. Vnde tam Reuerendissimus Clerus, quam Monachatenses populi quæstuosissimas hauriant exactiones, propterea quod eorum bona pars, qui petituri sunt cœlum, iter illac habere consueuerint. Quibus tamen transitus non conceditur, nisi prius impositum tributum persitauerint. Quamobrem nonnulli etiam Purgatorij nomen loco inditum, quod sacculos purget, atque euacuet, arbitrantur.

AC. A quonam quæso mi Amoni castrum hoc initio fuit exædificatum? etenim neminem adhuc inueni, qui mihi liquidò id indicarit.

AM. Quid hac de re mihi cōpertum sit, percurram breuiter. Quum in archiuo nostro non ità pridē meis in ordinem redigendis tabellis incumberē, vetustiores inter paginas reperi testamētum quoddam à Veritate longè omnium, quæ vnque fuerint principe matrona Romæ olim defuncta, iam conditum: Quo quidem in testamento quum hoc de castro, tum de portorijs illic impositis bene longa fiebat mentio. Nam isthæc ipsa Domina inter faciendum hæredes ex asse, diffusam quandam narrationem, ad exonerandam metu conscientiam testamento inseruit, in hanc fermè(vt referam breui)sententiam. Quandoquidem vulgo sic opinantur homines me castrum Purgatorium ædificari, locoque vectigal à prætereuntibus pendendum imponi iusisse, ac propterea his de rebus posse me tanquam aliqua de

parte aſsis, hæredem facere, quem velim: par eſt vtiꝗ me non per præſtigia, ſed palam rem ipſam ante oculos omnium ad liberandam onere tam graui meam conſcientiam ponere. Hic igitur publicè profiteor & conteſtor, ipſam fabricam nec me iubente fuiſſe conſtructam, nec meam eſſe: quippe quæ nihil omnino neque in Liberi Arbitrij Regis, nec in Reuerendiſsimi Cleri ditione poſsideam. Cæterum quò res apertius in ore, & in oculis omnium ſit, quinam eius loci fabricatores extiterint, quam veriſsimè & quam breuiſsimè potero hic exponam. Poſt annos circiter ducentos à Chriſto nato, quidam eiuſdem ætatis patres eiuſmodi caſtrum ædificare cœperunt. Sed quoniam hoc ipſum non niſi ſuper uanas quaſdam opiniones fundauerant, opus perficere nequiuerũt. Sedenim annis poſtea paulo minus quadringentis Gregorius eius nominis primus Pontifex Romanus, falſis ac mendacibus laruarum quarundam viſis illectus, non tantum ad opus iam incœptum melius fundandum aggreſſus eſt, ſed vt optimus redemptor auxit inſuper totam ipſam fabricam. Atꝗ ex Miſſa prouincia virorum triginta præſidium loco impoſuit, quorum opera quicunꝗ illuc perueniſſent, expeditè magis pertranſire poſſent. Neꝗ arduum ac difficile Gregorio fuit rationem inuenire, qua quum viri, tum mulieres è caſtro Purgatorio celeriter euaderent, qui Traianum Cæſarem ab Orco etiam potuerit haud ſecus ꝗ Orphæus Euridicem reuocare. Poſtremò qui Gregorio huic Pontifices Romani ſucceſſere, dæmonum illudentium, ac ſeſe vita functorum animas eſſe ſimulantium ope adiuti molem ipſam deniꝗ perfecerunt, ſynodiꝗ baſilienſis adminiculo (Græcis

licet

licet aduersantibus) fidei quos vocāt articulis adscriptam Clericatui, monachatensibusq; populis donarunt. Qui omnes vnà deinde loco imposuerunt id vectigalis, vnde tanquam indicæ formicæ diuitias innumerabiles excauant. Ad hæc instituerunt, vt præter septenarias, ac trigesimas nundinas, quæ inibi frequentissimæ sunt, celeberrimus quotannis mercatus quarto Nonas Nouembris haberetur: quēadmodum Odilus Abbas in Sicilia quondam incœpit. Quò maximum inde quoq; sibi lucrū, mortaleis omneis et nūmis & alijs rebus omnib^9 emungentes acquirant. Præterea voluerunt, vt quisquis illuc accedat, alieno ære ita grauatus, vt cōfestim soluendo non sit, in squalidissimum carcerem conijciatur in medio igne torquendus, donec singulis annorū septem spacijs, singula nomina aut ipse per se, aut alius quispiam pro illo inducat. Quapropter etiam ne quis ob eam causam diutius ibi consistere cogeretur, ordinarunt vt Indulgentia maximi nominis Heroina, quod hæc per orbem vagari ad mortaleis tam culpa, q̄ pœna liberandos consueuerit, magna cura ac diligentia eorum qui distinentur illic, necessarios adhortetur, vt se internuncia pecunijs expositis illos eximant inde. Hæc summa est longe narrationis eius, quæ in veritatis testamento continetur, & eorum omnium quæ de Purgatorio ipse norim.

AC Non dubito, quæ dicta sunt esse verissima, quū ab ipsa Veritate sint dicta. Verum quia de Domina Indulgentia nonnihil hîc etiam meministi, ne graueris, amabo te, de huius quoq; origine mihi aliquid indicare.

AM. Et hoc itidem paucis expediam.

AC. Ita quæso, nã oportuerat me iam hinc abijsse.

AM. Vt itaq; mihi ab antiquarijs quibusdam diligentissimis quidem illis, atq; eruditissimis viris, quibus cum mihi vetus necessitudo intercedit, relatum est, Heroina hæc Indulgentia ex vrbe, Remissio pœnarum canonicalium, vocata, quæ nonnullis ab Episcopis antiquitus in Pœnitentia prouincia structa fuerat, oriunda est. Pœnitentiam autem Prouinciam non eam dico, quæ in bonorum operum est regno, de qua paulo ante meminimus: At illam, quam ipsi ea tempestate incolebant Episcopi, quanq; postea simul cum ipsa vrbe tẽporum deleuit iniuria. Ac mihi quidem firmiter asseueratũ est, hanc eandem Indulgentiam è Romana sede non aliter quam Heben ex Iunone sine patris opera fuisse progenitam: Quæ sanè sedes ex Iesu Christi, Martyrumq; cruore, nec non ex reliquorum diuorum meritis, qui plura perpessi sunt, pluraq; bona opera confecerunt, q̃ ad parandum sibi ipsis cœleste regnum sat erat, in vnum collectis isthanc ipsam in vtero conceptã paulatim in lucem edidit. Sed cur etiam Indulgentiæ nomen illi sit inditum si forte libet audire, memoriter tibi recitabo paucula quædam carmina ab ipsa quondam facta, quæ perquam dilucidè id indicabunt.

AC Id verò mihi erit quam gratissimum.

AM. Sic igitur ea totidem verbis habent.

Etsi nomine nunc parum latino
Indulgentia dicor à misellis
Qui me non minus ac suos ocellos
Papistis adamant, tamen vocari
Me sic res iubet ipsa, quod nihil me

Indulgentius esse comprobetur.
Nam cuiuis scelus omne criminoso
Indulgere parata sum, nec vlli
Cuiusquam veniam negare culpæ.
Christi nil opus est cruore cuiquam,
Sed nummis modo: quos mihi benignis
Si porgant manibus, nefanda fient
Confestim omnia mundiora mumdis.

Hos ego versiculos, in Archiuo similiter olim repertos adolescens edidiceram. Atq; hæc quidem fuere Dominæ Indulgentiæ incunabula. Quo verò deinde pacto, aut quo potissimum tempore in publicũ prodire hæc cœperit, etiamsi certa determinataq; ratione comprehẽdi non potest, aliqui tamen sunt, qui Gregorium Pontificem romanum, de quo proximè commemorauimus, hanc per Vrbem, insecutos porrò pontifices etiam per Orbem deduxisse arbitrentur. Et pontifices quidem illos, eam se magnifacere, vt à cæteris quoq; plurimi fieret, ostendisse. Hòc vt non prorsus affirmare, itâ nec penitus refellere ausim. Suum hîc esto cuiq; iudicium. Verum enimuero quum hæc tandem orbi penè vniuerso iam innotuisset, Bonifacius eius nominis octauus pontifex romanus amorem in eam suum palam facturus, illam ipsam Iubileo ludorum secularium Præfecto nuptijs locauit: Nec matrimonij huius obstitit copulationi, quod is princeps Iudæus esset, propterea quod Bonifacius ipse suis hũc manibus baptizauit, atq; ex Iudęo bono, Christianum fecit non bonum. Moxq; ambobus imperauit, vt in Pœnitentia quidem Prouincia vrbem satisfactionem incolerent: quum autem accederẽt

Romam, diuorum Petri ac Pauli magnificentissima tẽ-
pla inhabitarent: attamen ea conditione, vt non nisi se
mel centesimo quoq; anno in vnum conuenire, ac ne
tum quidem nisi annum vnum simul agere valerent. Etsi
postea Clemens huius appellationis sextus romanus
pontifex hanc mariti ab Vxore seiunctionem nimis
omnino longam ratus, quinquagesimo quoq; anno co
itionem iam dictam fieri iusserit. Nouissimè autem
Xystus quartus itidem põtifex romanus honestis ac le
gitimis de causis instituit vt quinto & vigesimo quoque
anno vnà copularentur. Interea verò domina Indulgẽ-
tia per id temporis quo minimè marito coniungeba-
tur, huc & illuc ad ea quæ supra recensuimus officia
præstanda errans atq; omniuaga discurrebat, quo ad
tandem Alexander sextus iniquum esse iudicans Vxo
rem vagari per orbem solam, Marito interim domi in
ocio commorante, cœpit & ipsum maritum frequenter
extrudere: pręcipiens ambobus, vt modo coniunctim,
modo diuisim incedentes, vt ad quæstum vberiorem
parandum commodius esse ducerent, vndecunq;, sem-
per & ab omnibus omnia corraderent, spongiarũq; in-
star exugerent. Id suum nihilominus habere voluit
robur, vt quoties annus adueniret, quo simul eos esse
Romæ conueniebat, prorsus ex Vrbe non discederent
Quod si quis exterorum per eius anni spacium aliquã
sibi quauis in re fieri gratiam exoptaret, aut per se Ro
mam peteret, aut pro se alium quempiam mitteret, quo
niam quæcunq; alias alibi gratiæ consueuerant fieri, eo
ipso anno in Vrbe solummodo concederentur. Atq;
hæc habui, quæ in vniuersum de domina Indulgentia
tibi nunc breuibus narrarem.

AC. Summam, vt verum fatear, è tuo sermone cepi voluptatem, ac præsertim ex ea sermonis parte, quæ ipsius Indulgentiæ ortum retulit. Ea nanq; quum sine patris opera in lucem prodierit, miraculosam vtiq; natiuitatem habuisse putanda est.

BER. Immò verô monstrosam potius. Nullã enim vnquam immundiorem aut rapaciorem Arpyiam, quã hæc sit, exortã esse manifestissime constat, vt recte de illa dici possit.

Non fuit Autolyci tam piceata manus:

AC. Cæterum prouectæ admodum ætatis hanc esse crediderim, quum tot sæcula iam vixerit.

AM. Sic est omnino. Nam & ipsa, & Maritus pariter senio iam confecti fabulam ætatis peregisse videntur. Verum tu Tripho id paululum, quod superest iam expedi.

TRI. Monachatenses populi per se peculiari quodã è uectigali suis tantum locis imposito (supererogationem nominant, vbi plus fit, quam imperetur) infinitam bonorum omnis generis vim exigere solent: Vnde diuites eo vsque euadunt, vt è partis istiusmodi bonis aliquam partem aliis quoq; nonnunquam vendere, nonnunquam etiam nimiæ charitatis impulsu donare consueuerint. Hactenus exemplorum transcriptio.

Iam peruenimus vsq; ad vmbilicum.

AM. Gaudeo ita me Dij ament, nullum in exemplis erratum inesse. Iam igitur isthæc ipsa mi Elicite Actus accipere, & adquem libuerit deferre licet:

AC. Ita sanè faciam. Vale.

Am.

AM. Tu quoque ſimiliter. Vale.

ACTVS SECVNDI. SCENA TERTIA.

ELICITVS ACTVS, BERTVCIVS.

QVidnam diplomatis illud eſt, quod recepiſse te aiebas è Pœnitentiarijs, quos uocant, impetraturum Bertuci?

BER. Ego dicam tibi: Monachus quidam aracælẽſis mathematicarum diſciplinarũ profeſsor, alioqui non imperitus, circuli quadraturam nouitio cuidam diſcipulo conabatur oſtendere. Sed quum ad percipiendum rudem eſſe puerum ſæpius experiretur, velletq; ob id hunc leuiter verberare, paululum ſanguinis ferula imprudens elicuit. Superſticioſulus itaq; homo quũ ſit, exiſtimat ab iſthac irregularitate, quã appellant, ſe non poſse niſi Papæ autoritate intercedente abſolui. Quãobrem à me precibus contendit, vt abſolutionem huiuſmodi per aliquod diploma impetrarem.

AC. Nullo negocio impetrabitur: Nam eius generis caſus, & Papæ & ſuis creaturis ferè omnibus oblectamento ac riſui eſse ſolent.

BER. Maſculæ veneris obſcænitatẽ inter Papæ Creaturas dulcibus etiã cachinnis excipi vel id indicio eſse poteſt, quod quum Paſquilli nuper neſcio quod inuerecundum Carmen De Vario quodam non ità pridem Epiſcopo Nucerino hiſtoriarũ ſcriptore in huiuſmodi hominum

hominum frequenti corona recitaretur, soluto risu cœperunt omnes emori. Ipsum vero Carmen quia impudicam eorum pudicitiam, qui se publico etiam uoto castimoniæ consecrasse mentiuntur, palàm facit, hîc mihi referre nunc libet: quod sanè sic habet.

Tiresiæ baculo Varius non contudit angueis,
Et Vario tamen est vtraq; nota Venus:
Vxor enim simul ille, simul solet esse Maritus:
Quodq; magis mirum est, inter vtrunq; mareis.

AC. Malos malè perdat hos Deus, qui tam probrosis facinoribus & seipsos dedecorant, & aliorum etiam honestas aureis contaminant, & offendunt. Verū abi iam Bertuci, ac tuum hoc negociolum expedi. Ego quoq; hinc summi Pontificis aulam ingrediar, vt quæ mihi à Rege nostro demandata sunt, exequar.

ACTVS TERTII

SCENA PRIMA.

DISCVRSVS. ORBILIVS. CLERVS. DIACONATVS.

Consueuerunt peritissimi Chirurgi quum leuioribus medicamentis membra putrida curare nō valent, ad grauiora tandem, puta ad vstulationes aut incisiones admouere manum, quò vel sic depascentem

gangrenam, aut alium quemuis latè serpentem morbū coerceant, ne reliqui etiam tunc integri artus inficiantur. Hoc idem & summus pontifex romanus, & Liberum Arbitrium Rex cum his, qui suo ipsorum imperio sunt rebelles, vtpote cum sanie corruptis membris, efficere nunc in animo habent. Etenim quum nec suaueis admonitiones, nec acerbas obiurgationes aliquid habere momenti ad sanandos hos videant, periculosas, atq ancipites iam se velle curationes adhibere omnino decreuerunt. Sed interim inuise Orbili an Reuerendissimus Clerus in suis hîc palatinis ædibus nunc sit. Nā opus est, vt hac ipsa de re hominem alloquar.

OR. Non ita dudum per vicinas illum has porticus cum suo procuratore incedentem conspexi.

DIS. Subsequamur: Atenim ecce adhuc in proximo deambulant, salue Reuerendissime Domine.

CLE. Hîc Humane Discursus aderas? Tu itidem salue. Quid obsecro nouarum rerum ad nos affers?

DIS. Sanctissima sanctitas Domini nostri Papæ, ac Liberum Arbitrium Rex peculiaris meus Dominus vna iusserunt, vt suo ipsorum nomine nunc te conuenirē & quæ collocutionibus paulo ante habitis inter se decreta sunt, indicarem. Optassent quidem te quoq iisdem congressibus & colloquijs præsentē adfuisse. At quum id non contigerit, per me tibi non modo quid actū ibi sit, verum etiam eorundem actorum tibi ipsi fuisse demandatam executionem significari voluerunt.

CLE. Nunc hodie primum ex ædibus exeo: quorundam enim Theologorum non vulgari mihi beneuolentia coniunctorum domi me hactenus occupauere negocia: qui per me sibi quàm celerrimè bullas quasdā absolui

ſolui quò mane cras hinc abire poſsent, efflagitauerant. Sed quem obſecro ſermonem inter ſe Monarchæ huiuſmodi habuere? aut quarumnam rerum exequendarum mihi creditam prouinciam ab ijs fuiſse nuntias?

DIS. Dicam tibi: Regi noſtro nuper è Germania neſcio quid nouarum rerum allatum eſt, quas quidem res viſum eſt illi expedire, vt cum ſanctiſsimo Domino noſtro Papa conferret.

CLE. Ecquid earum eſt fortaſſe, quas ijdem Theologi de quibus tibi modo dicebam, retulerunt? Nam quum hodie mihi condixiſſent, apud me pranſi ſunt: mihiq; inter prandendum quamplurimos â ſua maieſtate ad Luteranos deſiſcere nuntiarunt.

DIS. Iſthuc ipſum.

CLE. Ergo quid inter ipſos monarchas hac de re diſputatum eſt? nam diffuſè mihi omnia refferri valde cupio.

DIS. Equidem eò libentius id faciam, quod ità etiã facere ſum iuſſus. Quum igitur ad Sereniſsimi Regis aureis huiuſmodi rebellio perueniſſet, illico de iſthac ipſa cum ſummo pontifice benè longo ſermone communicauit, ac deniq; humili obſecratione Pontificem ipſum precatus eſt, vt ne permitteret, ea ſe regni Bonorum operum poſſeſsione deturbari, quam antiquitus etiam ab alijs Pontificibus dono ſibi datam liberaliter, hactenus integram inuiolatamq; ſeruaſſet, atq; hic ab Archetypis qui notatã hanc donationem in ſe continẽt, exempla tranſcripta Papæ obtulit: Moxq; ſubiunxit, ſe ſupplicem votis omnibus orare, vt ne pateretur improborum quorundãm latrunculorum inſolentiam tam latè graſſari, propterea quod ſæpius vel paruulo ex igni-

culo maximum incendium ſoleat excitari.

CLE: Honeſta ſanè petitio. Verum quid reſpondit meus parens?

DIS. Primum iuſsit bono animo eſſe Regem: ſe diligentiſsime curaturum vt in bonorum ſuorū poſſeſsione perſeueret. Ad hoc, antea quoq; ſibi renunciatum fuiſſe dixit, hos eoſdem, qui Regi damnum inferrent, vniuerſæ papiſticæ Monarchiæ ebelleis eſſe: tantaq; inde moleſtia ſeſe affici, vt importunis huiuſmodi turbis quoquo modo ire obuiam decreuerit: Seuerioribus remedijs opus eſſe dictitans, quando priora leniter adhibita nihil omnino profecerint.

CLE. AEquè prudens me hercule reſponſio. Verum non ſatis commemini qualia fuerint, quæ prius adhibita ſunt, remedia: id mihi in memoriam reduci vehementer velim.

DIS. Haud difficulter hæc ſuggeram. Non armatæ, ſed mites à primò quædam fuere preces, & correctiones, ac non admodum graues repręhenſiones: Deinde quod hæ tum parui æſtimarentur, excommunicatio, quam vocant, ſubſecuta eſt: quæ non in rebelleis modo lata eſt, ſed etiam in alios omneis, qui quauis ratione, præſertim verò quorundam editione librorum homines ad ipſam defectionem inducentium, illis fauerēt. Qua quidē in re animaduerti facilè potuit, quam rigida glacie frigidiora hi geſtent pectora, quoniam quum excommunicationis acre fulmen ſuo prius & vehemētiſsimo igne, & ardentiſsimo furore totum terrarum orbem perterrere, atq; exanimare conſueuiſſet, homines impij nunc id adeò nihili faciunt, vt ne calorem quidem vllum inde perſcentiſcere videantur. Ingens præterea

numerus

numerus Diomedum, Busiridum, & Procustum, quos hæreticæ prauitatis Impositores vocant, è Monachatu prouincia selectus est, qui tanquam Sathanæ emissarij gladio stricto proscriberent, & in carcerem detruderẽt & capite plecterent eos omneis, qui capti conuictiq; sese ab hoc scelere non reuocarent. Hæc prima fuere pestiferi morbi huius medicamenta.

CLE. Non admodum aspera me iudice. Sed obsecro te, Quinam isti hæreticæ prauitatis Impositores? Nusq; de his factam mentionem audiui.

DIS. Dixine ego Impositores? errraui. Inquisitores volebam dictũ. Sunt autem hi, qui sæuissimam carnificinam exercent, vt quo iure quaque iniuria papisticam perstrenuè tueantur Monarchiam.

CLE. Oh Carnifices ego istos optimè noram: Iidem enim sunt, qui á viris ac fœminis, quos ipsi, striges vocant, adeò non abstinent manus, vt de his etiam iniquũ supplicium sæpe sumant. Nam cum misellos homunciones tormentorum vi adegerint, etiam quæ ignorant, fateri, aut ingenti pecuniarum summa inustam criminis notam redimere illos cogunt, aut si id recusent facere, comburendos procurant: vt eorum bona partim committantur fisco, partim ad se ipsos velut ad Quadruplatores deueniant. Verum his nunc omissis ad incœptũ reuertamur. Velim ergo mihi narres, quæ denuo sint huic valetudini iam adhibenda remedia.

DIS. Hoc illud est, quamobrem huc accessi. Beatissima beatitas Sanctissimi Domini nostri Papæ sic imperat, vt tu ipse mi reuerendissime domine Theatinum, Burgosum sancti Iacobi, Polum britannum, Marcellum sanctæ Crucis, Cuouesum Hispanum, ac Puteum abyssi | Hæc Paulo tertio Pótifice romano inter viuos agente cõscripta sunt.

Nam carnales isti Carnificinæ huic suæ Sanctissimi offitij nomē inuidere.

Reuerendissimos Cardinaleis, nouos nunc hæreticæ prauitatis Inquisitores instituas: & sathanacissimum (sanctissimum dicere volui) horum officium voces: Illisque dictatorium gladium atque omnem autoritatem, ac potestatem suo nomine conferas, vt veluti Sextumuiratus munere fungentes hac in causa, summo studio nocentissimæ rebellionis huius expullulantem, immò iam longius multiplici atque erratico lapsu serpentem radicem styrpitus euellere pro viribus nitantur: nec alicuius omnino, qui ab ipso Papa aut iam defecerit, aut defectionem moliatur, vitæ parcant: Sed exuentes humanitatem omnem, leges ferant sanguine non atramento conscriptas: ità sanè vt in omneis pariter gladium stringant, omneis ad vnum interficiendos curent: idque aut clam, aut palam, aut per se, aut per alios, vti causæ, quam agent, magis expedire iudicauerint: sic inquam vt qui ad hāc Maleam deflexerint, domesticos obliuiscantur. Cæterum quoniam fermè quotannis Monachatenses quidam insolentissimi, vt ipsorum moris est, viri Quadragesimam Vrbem ingressi publicis concionibus aliquas turbas dare, complureisque vt rebellent excitare consueuerunt, eosdem Sextumuiros admoneas iubet, peculiarem adhibeant curam, vt ij contineantur in officio: neque horum aliquis nisi ex suo ipsorum præscripto concionetur. Et ne in re tanti momenti errare contingat, neuè ea res Papæ sit fraudi, impressos libellos publicè in hunc vsum edant: quorum quidem libellorum decretis qui concionatores non steterint, continuò à concionandi munere submoueantur, aut in carcerem conijciantur, aut religentur, aut ad triremèis damnentur, aut in Vrbem huc mittantur, vbi Sambico grauiora

perpessi

perpeſsi per Vulcanum, ſeu Tyberinum patrem ſeueriſsimè puniantur. Quod vt etiam peragi commodius poſsit, principum ſecularium, quos vocant, auxilium ac fauorem ſibi modis omnibus & concilient, & conſeruent. Ergo tuas iam eſſe parteis noris, vt & quamprimum & ſedulò hæc omnia exequaris.

CLE. Ego verò id quidem ac lubens. Nec mihi dubium eſt, quin Reuerēdiſsimi quoq; domini Cardinales hanc lætis humeris prouinciam ſuſcepturi ſint, & magna cura, ſtudióq; adminiſtraturi, quū etiam de ſua ipſorum re hîc pariter agatur. In primis vero Reuerendiſsimum Theatinum certò ſcio promptiſsimè nobis affuturum, vt qui animo in papiſticam ſedem propenſiſsimo ſemper extiterit, atq; hanc ipſam pluſquā ſuos oculos adamarit.

DIS. Hæc ſunt, quæ iam ſecundo loco tanq; præſentanea pharmaca ægritudine hac inſana laborantibus miſceri tuus parens iubeat. Quod ſi has quoq; medelas ineficaceis eſſe conſpexerit, Epheſiis etiam vti literis, atq; extrema quæq; tandem experiri, Turcarum quoque (ſi opus fuerit) Imperatore in ſuum auxilium aduocato, conſtituit: quo peſtis eiuſmodi quottidie magis ingraueſcens, prorſus deniq; ſuis è finibus tollatur. Atq; hæc illa ſunt, quæ tibi ſignificanda ſuſceperam. Nunc ad Regem noſtrum mihi eſt reuertendum: Is nanq; me domi præſtolatur, vt per hos, qui ſunt abituri, Theologos, Epiſcopi Viennenſis epiſtolæ reſpondeam.

Actus.

ACTVS TERTII

SCENA SECVNDA

CLERVS, DIACONATVS, FELINVS.

CLE. Arbitror Diaconate hos Theologos, quibus hodie iuuandis operam nauauimus, benè contentos in patriam se recepturos, quum opimis per nos onusti sacerdotijs illuc redeant.

DIA. Mihi fit verisimile: atq; adeò sic existimo, hæc ipsa fore tanq̃ viscata munera quibus alij quoq; docti viri capiantur, vt premiorum spe ducti suis etiam scriptis papisticam Monarchiam sint ab aduersarijs omnibus defensuri.

CLE. Rem tenes: Et nos etiam ea de causa id facimus. Verum Diaconate mi optarim Sex istos Reuerendissimos Cardinaleis per te meis verbis admoneri, vt crastino die ad me velint hûc accedere, quò negocium hoc ipsum cum illis transigere valeam.

DIA. Effectum dabo.

CLE. Felinum hinc tibi comitem assume, & quod commodo tuo fiat, rem nunc expedi: Ego verò cum Sacellano in cubiculum reuertar, vbi non desunt quæ agam plurima.

DIA. Vt iussisti, ita fiet, ne dubita.

Actus

ACTVS TERTII
SCENA TERTIA
DIACONATVS, FELINVS, HERMES.

MIhi ſic videtur Feline, vt mulis domi relictis, iter hoc deambulationis loco ſenſim pedibus conficiamus: Qua in re ſi quid etiam defatigationis ineſſet, iucundis totum id ſermunculis leuare poterimus.

FE. Arridet ſententia.

DIA. Ergo iam ad iter ipſum, & ad gratas collocutiones aggrediamur. Atq; vt ego hinc initium ſumam: Dic mihi obſecro Feline, es ne adhuc in illa de noſtris Theologis opinione, quam animo paulo ante imbiberas? eos nimirum non adeò, vt vulgo feruntur, excellenteis eſſe? Vel ex hoc facilè conuincitur, te non rectè hac in parte ſentire, quod in ſummo apud ſummũ Pontificem illi ipſi ſunt precio, vt idem pontifex amplis in hos collatis ſacerdotijs, comprobauit.

FE. Homines bene fortunati non indigent multa ſapientia. Sedenim quod me potiſsimum mouet, vt hos nõn magnifaciam Theologos, id vnum eſt, quod hodie in inſtituta diſputatione quum ſæpius alter alterũ varijs de rebus interrogaret, vno & eodem modo ferè ſemper alter alteri reſpondebat, his fermè verbis, EGO DISTINGVO LARGE ET STRICTE, adeò vt hoc ipſum reſponſum omnibus eorum interrogationibus, ac diſquiſitionibus non minus aptè ſuo ipſorum iuditio conueniret, quam ſubligacula per Bal-

neatores his data, qui lauaturi balnea ipſa ingrediun-
tur, podicibus omnibus conueniant.

DIA, Hæc tua comparatio Feline videtur eſse parũ reuerentialis, atq; his temporibus etiam ſcandaloſa, vt noſtri Theologi nunc loquuntur. An neſcis Theologorum ipſorum has eſse voces, quibus Aduerſarios ita ludunt, vt ex quibusuis ipſorum argutijs haud ſecus ac Thetis ex Pelei manibus elabantur? Sed quiſnam obſecro ille eſt, quem procul tranſeuntem conſpicio? me hercule noſter Hermes eſt, homo non minus antiqua probitate, quam ſingulari præditus eruditione licet odioſa paupertas haud aliter nunc illum, quã ſæua Nouerca iniuſtè opprimat, quum hoc tempore ſit.

Et genus & virtus niſi cum re, vilior alga.

Quanquam ille ſola virtute contentus, vt quæ ſplendeat per ſeſe, nec ſordibus alienis obſoleſcat, in ſinu gaudet: ac promiſcuè per hanc omnibus prodeſſe quærẽs, memoriam ſui nominis eleganter conſecrat poſteritati Vnde etiam carmen hoc frequens in ore habet.

Sic viue, te vt vixiſſe norint poſteri:
Vel potius eſſe mortuum non ſentiant.

Sed hominẽ alloquamur, nõ ingratũ erit hunc audiſse.

FE. Vt libet.

DIA. Heus Herme: heus inquam? Quò ita meditabundus accedis?

HER. Quis me vult? ô mi Diaconate: domum me recipiebam.

DIA, Expediſtin'obſecro Germanorum Theologorum negocia?

Her

HER. Expediui omnia.

DIA. Bene factum De ipsis nunc Theologis cum Felino hîc loquebar: etiamsi non admodũ Is illos multifacere videatur: quam id recte autem, ipse viderit.

HER. Fallitur opinione Felinus hac in parte: quum ij suos inter æqualeis longe multumque omnino præstent. Quod si sermones ipsorum tam publicos quam priuatos, & audisset, & bene intellexisset Felinus, aliter afficeretur, sat scio.

DIA. Quæso te, si me diligis, mi Herme, quando de priuatis etiam horum Theologorum sermonibus, hîc abs te mentio facta est, velis mihi aliquid ex ijs referre. Nam preterquam quod mihi rem gratissimam feceris, fortasse poteris hinc ab errore Felinum etiam reuocare. Quod si nihil aliud commemorare libet, vel id saltem recita, quod ab Ecchio tibi seorsum nudius tertius in aurẽ dictum fuisse mihi paulo ante significasti: videlicet aliquos esse nunc Hereticos, qui os adeò perfricuerint, ut audeant contra Papæ quoq; potestatem, si dijs placet, dicere,

HER. Quandoquidem mihi nunc vacat, libenter tibi operam dabo: neq; id vnum modo quod petisti, sed quicquid aliud etiam libuerit, haud grauatè recensebo.

DIA. Meritò mihi charissimus es, teq; in oculis fero.

HER. Verum enimuero anteq; ad dicendum de sermonibus ecchianis aggredior, paucula quædam de ipsorum Theologorum in Italiam aduentu, perquam breuiter mihi perstringenda sunt, quo dilucidius commodiusq; reliqua omnia percipiantur. Vt itaq; hinc initiũ sumam, quũ supradicti iam Theologi Vrbem Romã statuissent accedere, non eodem itinere omnes in Italiam

liam descenderũt: Nam ex ijs aliquot per Tridentinas alpeis amœnum atq; ornatum Venetiæ oppidum Bassanum ad Meduacum amnem situm petentes Venetias contenderunt, vt eam Vrbem totius Europæ lumẽ inspicerent: Alij vero per inalpinos Rhætos Mediolanum certorum negotiorum gratia, sunt profecti. Et hi quidem quo die ad ipsorum alpium radices deuenerunt, hospitati quodam in vico sunt, Vbi lapides eleganter in vasa domesticos ad vsus accomodata tornantur. Quumq; hic statim à cœna huius artificij cuperent officinas inuisere, Hospes ipse, qui domesticis occupationibus impeditus illos deducere non poterat, Causidicum quendam proximas ædeis incolentem orauit, vt pro se Germanis his Theologis id offitij præstare vellet. At Causidicus, qui ut litteratus ipse itâ litteratorum amantissimus erat, audiens hos esse Theologos, eò libentius, & ducem & comitem se illis præbuit, quò sperauit fore, vt inter eundum aliquid cum eisdẽ posset de religione conferre: Quod sanè demum etiam factum est. Etenim quum illis diligenter omnia cõmonstrasset, commodam occasionem nactus cœpit ab ijs quærere, an primaria summaq; potestas illa, qua nũc omnibus in rebus Papa fungitur, diuinone an humano illi iure obuenerit. Deinde tum Liberi Arbitrij Regis, tum ipsius regni, separatimq; quarundam eius Prouinciarum res aliquot in disquisitionem posuit: quibus de rebus hodie nulla Monarcharum tam excellentiũ habita ratione, ab omnibus vbiq; ferè disputatur.

DIA. Ita planè est. Nam etiam sutores hoc tempore sibi licere volunt, Papæ, ac Liberi Arbitrij potestatem in dubium vertere. Sed perge obsecro.

Hermes

HER. Tum Ecchius Vir omnium Theologiæ disciplinæ longè eruditisſimus, Cauſidico reſpondit, ad ius diuinum Papæ poteſtatē pertinere. Primum quoniam in veteri quoq; teſtamento ſummum Pontificem Deus inſtituiſſet, atq; omnem huic omnibus de cauſis iudicandi autoritatem, ac poteſtatem dediſſet: quæ ſanè pōtificia poteſtas & authoritas in nouo teſtamento poſtea in Papam tralata eſt. Deinde quod ipſe etiam Ieſus Chriſtus per ſeſe Pontificem romanum Papam dixiſſet: quum Petro dixit. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo meam Eccleſiam, & portę inferorum non valebunt aduerſus illam. Et dabo tibi claueis regni cœlorum, & quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis, & quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis: Et quum iterum Petro dixit. Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Atq; etiam quum ei tertio dixit, Paſce oueis meas. Poſtremò quia ſacri canones eiuſdem cum diuina ſcriptura prorſus autoritatis, hanc ipſi Papæ primariam poteſtatem attribuunt, atq; illam quidem tot inſanis mirificiſq; munitionibus conſtabiliunt, vt nulla pœnitus humana vi proſterni valeat.

DIA. Eæ ſententiæ mea quidem ſententia ſunt, vt noſtri loquuntur, irrefragabiles.

HER. Tibi ſic videtur. At Cauſidicus longè aliter ſentit. Nam Is Ecchio valde repugnās hac in parte, ſeq; ex ijs aperte, ac perſpicuè vnum eſſe oſtendens, qui & Papæ, & Libero Arbitrio Regi valedixiſſent, cœpit in arcem huius cauſæ inuadere, atq; ex hiſtorijs quibuſdam ſuis probare hanc ipſius Papæ primariam poteſtatem, ſummumq; imperium res eſſe quas ipſe ſibi malis artibus conquiſiſſet: Neq; illū diuino iure aliquo

Christianæ Ecclesiæ caput, quod vni tantum Christo conuenit, esse propositum, sed seipsum talem ijs imposturis, quibus in omneis intendit suas fallatias, effecisse. Tum etiam addidit, in bonorum operum regno quamplurima secus habere, q̃ vulgo hominum opinio ferat, & q̃ publicis Rex idem scriptionib⁹ profiteatur.

DIA. Hæc paradoxa videri posint, quæ Causidicus asserenda proposuit: quum & admirabilia & cõtra omnium ferè opinionem sint. Verum non ità hercle me mouent, vt à Causidico timendum putem: quandoquidem paradoxorum pertractatio atq; explicatio non nisi Virorum est omnibus ingenio & doctrina longè præstantium: Qualem non esse hunc ipsum Causidicũ mihi facilè persuadeo. Sed institutum prosequere.

HER. Itaq; cœpit Causidicus in hunc fermè modum de Papæ primum causa, proloqui. Si miseri cęciq; mortales, quibus multos iam annos Papa, suis fucis, ac mẽdacijs imponit, eas aut legissent ipsi, aut ab alijs lectas obseruassent, historias, quæ Romanorum Pontificum vitas, ac gesta in lucem prodiderunt, facile proculdubio per se possent papisticas technas, fallatiasq; cognoscere, ac deinde non immeritò seipsos, quod ijs aliquando fidem adhibuissent, acriter increpare. Quapropter quoniam falsa isthæc opinatio, vel sũmus error potius, quo quis ipse sibi persuadet Pontificem Romanum Ecclesiæ Christianæ diuino iure primarium caput esse, vel ob impias inde factas deductiones aliorum omnium perniciosissimus est. Volo tibi hîc, inquit, ipsarum historiarum his de rebus compendiaria via collectam summam in medium proferens, ipsius erroris ita primam originem demonstrare, vt vnusquisq; posthac per

se facile

se facile cuiusnam iuris hæc pontificia potestas sit, animaduertere valeat.

DIA. Proloquium, ità viuam, satis arrogans: Arbitror hunc ipsum Causidicum sibi ipsi non minimum tribuisse.

HER. Ferè fit, ut eiusmodi homines parum abstinentes verborũ sint: Immo prætermodum sint & audaculi, & locutuleij. Verum ad rem nostram. Principio igitur inquit, id obseruandum est, quod posteaquam vetus reipublicæ Christianæ status, eò loci redactus fuit, vt Episcopatuum possesio non oneri, sed honori iam esset: ipsiq; Episcopi non gregis amplius curam, sed sui tantum ipsorum, propriæq; vtilitatis, ac mundanæ dignitatis haberent: Romani Episcopi cum Episcopis Constantinopolitanis inter se diu de primaria huiusmodi potestate sibi sumenda & superbè, & ambitiosè contenderunt. Nam vterq; suam sedem omnibus vbiq; locorum Ecclesiis præpositam esse volebat. Atq; hinc factum est, vt Mauritio imperante, Ioãnes Cõstantinopolitanus Episcopus, aduocato in id Græcorum concilio Vuiuersalem Ecclesiarum omnium Patriarcham se iusserit appellari. Quod quidem Mauritius vsqueadeò comprobauit, vt etiam Gregorio primo huius nominis Episcopo Romano imperauerit, vt Constantinopolitani Patriarchæ in omnibus dicto audiens esset, quanquam eiusmodi imperio parere Gregorius ipse recusauerit.

DIA. Euge Gregori, Bene ità me dij ament, abs te factum est. Enimuero claueis Petro, non Constantinopoli, sed Romæ fuisse traditas constat.

HER. Non ita multo post Bonifacius tertius Episcopus

pus romanus eiusdem Gregorij, Sabiniano tantum interposito, successor ab Imperatore Foca, qui Mauricio interfecto tyrannicè Imperium occuparat, astutè per dolum impetrauit, vt is ecclesiam romanam, omnium aliarum Ecclesiarum primam, ac romanum Episcopum, aliorum omnium Episcoporum, caput esse per orbem ediceret, atque hoc sanè quidem, ait edictum, siue Imperatorium Rescriptum, vt vocant, non aliquod ius diuinum Primariã pontifici romano potestatẽ attribuit, adeoque paulatim ipsum extulit in sublime, vt etiam terrenis demum Imperijs manum inijcere, ipsorumque Imperiorum res ad suam hanc stabiliendam potestatem suo arbitratu disponere non sit veritus. Et licet alij quidam potestatem isthanc ipsam ab Imperatore Constantino magno Papæ traditam fuisse autument, quia tamen hoc ipsum non nisi ex quibusdam Dreketorum suorum leuissimis paleis accepere, nos cũ Laurentio Valla, multisque alijs doctis iuxta ac pijs Viris, falsum ac vanum esse commentum asserimus: Quod nihilominus etiamsi verum esset, adhuc tamẽ ab homine Papa nactus esset potestatem, non ab ipso Deo, quemadmodum plenis buccis temere ac falsò iactare solet. Quod autem hinc romanus põtifex ità cristas erexerit, vt mũdanis quoque iam velle Regnis præesse incœperit, vel ex hoc facilè animaduerti potest, quod Gregorius itidẽ tertius hũc tertium Bonifacium longo tamen interuallo temporis insecutus, tertium similiter Leonem Constantinopolitanum Imperatorem, quia Is ad præscriptum diuinũ imagines è templis se inuito eiecisset, primum Anathemate iugulauit: deinde Italiæ populos iurisiurandi religione, qua ipsi Imperatori obuincti erant, absolutos, vt ab

illo

illo deficerent impudenter, impieꝗ adegit. A qua poſtea defectione, quũ tam Romani, ꝗ Rauennates ex ſeipſis iam ſibi magiſtratus et eligerent, et adminiſtrarẽt, Longobardorum odium in ſeipſos ob id adeò concitarunt, vt eorum Rex Luitprandus exercitu comparato Romam obſederit. Atenim Gregorius non iam audens ab Imperatore Conſtantinopolitano, vt qui irrogatæ in hunc iniuriæ ſibi conſcius eſset, ſuppetias petere, Caroli Martelli, qui in Gallia ſecundum Regem ità erat, vt illi penè par eſſet, ſupplex auxilium implorauit: atꝗ eius ope demum & Vrbem liberauit obſidione, & hoſtẽ à ceruicibus repulit. Porrò qui Gregorio ſubſtitutus eſt Zacharias primus egregium ſanè facinus incredibili armatus audacia perpetrauit. Nam & legitimũ Frãcorum Regem Childericum amotum regno in Cœnobium detruſit, & Caroli ſupradicti filium Pipinum cui nullum regnandi ius erat, in eius locum ſuffecit: quò ſtrenui Principis huius opera, quum opus eſſet aduerſus Conſtantinopolitanos Imperatores, reliquoſꝗ ſuos hoſteis vteretur, Huic Zachariæ Stephanus ſecundus ſucceſſit, qui dum inaugurraretur, ad Palatium Lateranenſe ceruicibus hominum delatus, eam inuexit ſuperbam conſuetudinem quam cæteri poſt hunc romani pontifices obſeruauere: Cau: 15. Quæſtione 6. Cap. Alius item.

Vt quoties libeat ſexta ceruice ferantur:

Is poſteá hunc eundem Pipinum è Gallia in Italiam contra Longobardorum Regem Aiſtulphum graui bello Romanos impetentem bis exciuit. At Pipinus Aiſtulpho magnifice demum ſuperato, Rauennatem Conſtantinopolitani Cæſaris Exarchatum, quem iniuſte ſibi per

bi per ea bella Rex vsurpauerat, illi ademit, ademptumq́ Romano Pontifici dono dedit, si iure tamen quod neutiq̃ suum erat donare potuit.

DIA. Equidem sic existimo. S, P. Q. R. cathalogo patriæ Patrum non immeritò Pontificem hunc ascribendum censuisse, ac per totam Vrbem cantari iussise.

Papponem dictum est propter carmen.

Roma patrem patriæ Papponem libera dicat.

HER. Cæterum quum in demortui iam Pipini locũ Carolus eius filius Rex suffectus esset: Hadrianus eius appellationis primus ægreferens non minus vrbeis quã alia omnia Romanæ sedi dono data iam loca per Longobardorum Regem Desiderium acri bello, se pontifice infestari, mitit in Galliam, qui Regem orarent, vt vergẽtibus iam ad excidium suis rebus maturè succurreret. Igitur statim conscripto exercitu Carolus in Italiam profectus non occupata solum à Longobardis loca in libertatem asseruit. Verum ipso Desiderio tandem capto, Longobardorum regnum per Italiam propè funditus euertit. Qua demum gloriosa præclaraq́ parta victoria, romano Pontifici non eam modo regionem, quam Pipinus pater antea largitus fuerat, à Longobardis acceptam benignè restituit, ac paternam donationem ratam esse voluit, sed insuper hanc eandem additis Vrbibus quamplurimis cumulatissimè auxit.

Dec. Dist. 63. Cap. Hadrianus Papa Romam.

Quamobrem Hadrianus aliquam Carolo gratiam relaturus, celeberrimo Romæ cõuentu Pontificis eligendi, atq́ Apostolicæ sedis ordinandæ, conferendorumque prouinciatim Episcopatuum ius ac potestatem penes ipsum Carolum esse nemine refragante, declarauit: atq́

atq; in his ipsis ea omnia, quæ Carolus Rex non approbasset, irrita esse voluit. Quod sanè ius antea penes Constantinopolitanos Imperatores, aut eorum in Italia commoranteis Exarchos extiterat: Anathematisq; vinculo (vt ipsi loquuntur) innodauit quotquot eiusmodi non paruissent edicto. Quanq; sint, qui velint, eam Pontificum eligendorum autoritatem, quam Constantinopolitani Cæsares prius habuerant, à Constantino huius nominis quarto Clericis populoq; romano fuisse contraditam quo tempore Benedictus secundus Romæ pontificem agebat. Verum vtcunq; hæc habuerint, satis constat, vel ex pontificiorum decretorum libris tertia & sexagesima Distinctione, capite Hadrianus Papa Romam, quæ nos recensuimus ità esse gesta, vt videlicet à nobis relata sunt. Posthæc autem Hadriano iam defuncto, Pontificatum Leo sui nominis tertius adipiscitur. Sed enim ex Vrbe postea quorundam æmulorum insidijs aufugere coactus, ad Carolum Regem se contulit, à quo etiam humanissimè exceptus est, ac mox in pristinum statum ac dignitatem restitutus. Pontificem subsecutus Carolus aliquanto post Romam peruenit: Vbi quum Leonis causam conuocata Clericorũ populiq; concione frequenti cogniturus assedisset, ab omnibus reclamatum est, nemini prorsus, nisi Pontifici fas esse iudicare Pontificem. Quo Carolus audito quæstionem eiusmodi penitus omisit. Sub hæc vero Pontifex ipse ne tot ac tantis officijs ingratus videretur, sed quam maximo posset Regẽ demereretur obsequio, simul ne quid omnino rei Pontificibus romanis cum Cæsaribus Constantinopolitanis execrationi iam contra ius fasq; deuotis in posterum esset amplius, huc tandem

dem euasit, vt inter sacrorum suorum quæ in Vaticano templo celebrabantur solennia, populo officij causa frequentissimo, isthũc ipsum Carolum Romanorum Imperatorem Augustum & dixerit, & consecrauerit, & inunxerit. Iamq; inde sibi Romanus Pontifex inaugurandorum occidentis Imperatorum autoritatẽ vindicauit: Ac sic ordine præpostero factum est, vt Imperator, qui Pontificem prius inaugurare consueuerat, nunc à Pontifice sit ipse inaugurandus. ô temerariam Paparum tyrannidem in alterius possessionem superbè inuadentem. Insuper etiam Pipinum Caroli filium inunxit, ac publico stabiliq; decreto Italiæ Regem declarauit.

Currus bouẽ trabit.

DIA. Leoninum planè pectus habuisse hunc Leonẽ apparet, qui tam ingens tamq; egregium facinus, atq; in tantã Romanæ sedis & gloriam & utilitatẽ ediderit.

HER. Atq; his quidem in hunc modum peractis Leoni è medio iam sublato, Stephanus quartus surrogatur. Is in Galliam profectus, Ludouicum Pium Caroli Filium, quod ipse Carolus iam vita decessisset diademate coronauit. Inde Romam reuersus confestim obijt mortem, à pontificatus ingressu nondum anno circũacto. Pontificia deinde munia Paschalis primus, etiam non interposita Ludouici Cæsaris autoritate adeptus est. Vt verisimile sit hinc potius, q̃ à superiore Stephano (vt quidã putauere) Pontifices Ramanos incœpisse iã sibi Cœsareæ ius autoritatis per dolum ac fraudem arrogare velle, quod illis tamen minime successerit. Nam quæ de donatione ab hoc ipso Ludouico Paschali Põtifici facta in veteri quodam Vaticanæ bibliothecę libello, & quæ itidem in Pontificiorum Decretorum

rum codicibus continentur, omnino leuiora sunt, quã vt ijs adhibere fidẽ iure & meritò debeamus: prẹsertim quum apud idoneos Autores videre sit, hanc eandem confirmandorũ Pontificũ autoritatẽ penes ipsos Imperatores, vel vsq; ad Henricũ Cæsarem sui nominis quartum, qui Gregorium septimum confirmauerit, perdurasse. Cæterum ne diutius his per seriem recensendis insistam. Quum à Caroli Magni inauguratione Galli centum triginta circiter annos iam collata primum per Pontifices romanos Imperij gestassent insignia, Ioannes huiusce nominis tertiusdecimus Pontifex homo facinorosus, ac iam inde vsq; à pueritia sceleribus, probrisq; omnibus adeo inquinatus, vt in adulterio deniq; deprehensus turpiter fuerit interfectus. Othonem Germaniæ Regem Imperatoria dignitate ornauit: ornatũ iureiurando sibi obnoxium reddidit. At quali obsecro & inquã iniquam formulam concepto iureiurando? tali nimirum vt mirum videri posit non puduisse papistas illud ipsum inter pontificia Decreta reponere. Atq; ita demum ad Germanos romanum translatum est Imperium. Postremò tandem Gregorius quintus eius nominis pontifex natione Saxo legem tulit, vt solis ijs Germanis Principibus Cæsarem ac Romanorum Regem eligere liceret, quod ad id muneris à se destinatos, Electores voluit appellari. Quæ sanè sanctio nunc etiam perseuerat: sub hac tamen conditione, vt qui sit ab huiusmodi Electoribus Cæsar dictus, nequeat etiamnum Augustus Imperator vocari, quoad ab Romano Pontifice sit & inunctus, & diademate coronatus. Atq; his quidem fallacibus captiosisq; rationibus, vel tendiculis potius, Romani potifices paulatim

Dist. 63. Cap. Ego Ludouicus.

Sabellicus cũ aliis quibusdã Ioannem hũc xii. faciunt. At Platina. xiii. fuisse ait: omnes tamen flagitiosissimum extitisse cõmemorant.

Dist. 63. vt supra.

ad ſeſe omnia pertrahentes, ac velut in aqua turbida piſcantes, bonorum ſimul omnium, & cœleſtium, & terreſtrium, & infernorum iura in ſe ſolos adeò deriuarunt, vt per iſthæc ipſa ſeipſos deinde ſuperbius extollentes, atq; in longe diuerſam à priſtina degenerantes naturam, è Miniſtris, Magiſtri, è Paſtoribus, Impoſtores, e minimis, Maximi, ex Epiſcopis, Monarchæ, deniq; è Chriſtianis, Antichriſtiani, vel Antichriſti potius euaſerint. Et licet in nonnullis hiſtoriarum quas huc attulimus locis, autoribus ipſarum non per omnia inter ſe conueniat, id ex ijs tamen, quod vero ſimilius viſum eſt, contracta hac ſumma, quam fieri breuiſſimè potuit, exceptum eſt. Porrò autem ſupererat adhuc dicendum (aiebat ille) quo pacto & Nicolaus primus, & qui hũc ſecuti ſunt Pontifices romani etiã eccleſiaſtica, quæ vocant, iura ad Clericos tantum reduxerint: & quomodo creandorum pontificum poteſtatem penes ſolos Cardinaleis, eſſe voluerint: & qua demum ratione reliquos omneis Epiſcopos vna cum ſuis populis conſtituendorũ ſibi Miniſtrorum authoritate, ſacerdotiaq; his ipſis aſſignandi facultate, priuauerint, atq; hæc omnia ad ſolius Papæ tyrannicam diſpenſationem reuocarint. Sed quia velle cuncta hæc ad viuum reſecare nimis fortaſſe longum foret, tum etiam quod mihi videar hac breuiſsima rerum geſtarum narratiuncula ſatis oſtendiſſe, quod me receperam comprobaturum, ſummã videlicet hanc poteſtatem, qua nunc Papa defungitur, minime omniũ diuino iure: quin ne poſitiuo quidem, vt loquuntur, ſed impoſitiuo magis diabolicoq; conſtare, finem hac de re loquendi iam faciam.

DIA. Hominem orco digniſſimum, Cauſidicũ hunc

dico, qui maleuolentissimis obtrectationibus Papæ potestatem ita vexet. Verum quid obsecro tandem productis ab Ecchio ex veteri nouoque instrumẽto sententijs respondit?

HER. Quod ad locum è veteri testamento desumptum attinet: Pontificatum ac Sacerdotium illud vetus non in Papam, sed in Christum, quem summus ille Pontifex adumbrabat, fuisse translatum asseruit. Qui quidem Christus æternam immortalitatẽ iam nactus, eius sacerdotij munus absque Vicario solus administrat, gloriamque ex hac ipsa administratione prouenientem nemini prorsus vni mortalium concedit. Neque enim externis tantum in rebus officij huius executio, vt in veteri testamento sita erat, nunc est posita, sed multo magis in illo vndecunque perfectissimò opere, quo per mortem suam reconciliauit nos deo, ac pro nobis apud illũ perpetuò intercedit. Quod vero ad sententias è nouo testamento citatas pertinet, ità respondit, nullam Petro Potestatem seorsum à cæteris apostolis per euangelium esse traditam. Etenim (inquit) super seipsum, nõ super Petrum ædificauit Christus Ecclesiam suam: quũ ipse sit angularis ille lapis ac solidum fundamentũ prę ter quod quidẽ aliud iacere nemo potest: id quod ex ipsius Euangelij contextu nullo negocio deprehẽdi potest. Enimuero quum suos vnà discipulos omneis interrogasset Christus his verbis: Vos quem me esse dicitis? Petrus & suo & aliorum nomine ità respondit. Tu es Christus dei uiuentis filius. Ac super hanc petram, quã confessus est Petrus ædificauit suã Christus ecclesiam, atque huic ipsi cælestis etiam Regni claueis est pollicitus: quæ sane nihil aliud sunt, quam remittendorum

rum aut retinendorum criminum per Euangelij concio nem ac ministerium facultas quemadmodum luce clarius indicauit ipse Christus, quum à resurrectione sua missurus Apostolos per orbem illis dixit. Vt misit me pater: ità & ego mitto vos, afflans'q; ait: accipite spiritū sanctum: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittun- tur eis, & quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Ex quibus verbis planissimè colligitur & dandarum claui um promissionem Petro, qui ecclesiæ typus erat, factā, & remittendorum, ac retinendorum scelerum potesta- tem vniuersæ collatam Ecclesiæ vnum penitus & idem esse: atq; huius item potestatis executionē in verbi Dei (vt paulo supra dictum est) administratione consistere. Qui credit ex animo promittenti per suum Internunti- um ac Ministrum Deo, se solis Iesu Christi meritis pec- cata omnia cōdonare, Is procul dubio soluitur: atq; hu- ic ipsi cuncta remittuntur delicta. Qui verò id non cre dit, in suis pristinis noxijs vinctus manet, æternæ dam- nationis retibus inuolutus: quod scilicet Christum Iesū Soterem ac liberatorem non admiserit. Atenim hîc illud obseruatione dignum est: Vos Papistas & ineptè & iniquè claueis ipsas ab ipso Christo sciētiæ, Regniq; cælorum dictas, pluribus alijs rebus accommodasse. Nam & ad vrbem Confessionem Auricularem claudē- dam, atq; aperiendam, & ad impias leges condendas, & ad vestras excommunicationes inferendas, & ad me- rita quū Christi tum Diuorum simul dispensanda, atq; ad alias eiusmodi res non è sacris litteris petitas, sed so- lummodo ad papisticam Monarchiā stabiliendam, & ad compillandas vndecunq; pecunias per vos excogita tas vobis licere his ipsis vti voluistis. Secundam post

hæc

hæc sententiam ex Euangelio inductam, vt quæ nihil ad hanc rem faceret, penitus reiecit: nullam inde neq; primariam, neq; secundariam Petro dari potestatem asseuerans. Verum per ea verba monitum à Christo Petrum, ne ob negationem in quam casurus erat, spem fidei ac salutis abijceret. Tertiam quoq; sententiam elusit hoc modo, nempe Christum per hæc verba, pasce oues meas, neutiq; voluisse dicere Papam totius orbis esse caput: Sed hinc tantummodo cum Petro, tum reliquis Euangelij Ministris in Petro, veri, boniq; pastoris officium indicasse: quod vtiq; est gregem Christi Verbo Dei, cæterisq; Euangelicis ministerijs pascere: non autem hunc ipsum (vt hodie sub Pastorum persona lupi rapaces efficiunt) intus, extraq; deglubere. Postremò ad sacros Canones deuentum est: Hîc verò ità excanduit Causidicus, vt ingentem esse blasphemiam exclamauerit, Papisticos Canones diuinis scriptis exæquare uelle: quod tantundem id esset, ac Dœmonem Deo æqualem facere: ac præterea dixerit, eam potestatem, quam summam sibi ex ipsis Canonibus arrogat Papa, nihil aliud quam Satanicam tyrannidem esse: constanter affirmãs papisticarum scripturarum loca õnia, quæ talem potestatem attribuunt Episcopis romanis antequam Bonifatio Rescriptum à Phoca concessum fuerat, esse falsa: atq; ab ambitiosis Paparum adulatoribus introducta: quò simpliciorum animis commodius hunc errorem imprimerent: quemadmodum & in ficta Constantini donatione ab eisdem est factum, vt vanis huiusmodi coloribus ac fucatis firmamentis papisticam Monarchiam constabilirent: nec mortalium quisquam in futurum vel hiscere in contrarium auderet. Esse autem

quæ diximus, itá vt diximus, ementíta, etiamſi multís coniecturis atq; euidentibus quidem illis facilè commonſtrari poſſet, ne tamen in re manifeſtiſsima diutius immorandum ſit, duas tantum hîc ex papiſticis etiam Decretis acceptas in medium protuliſſe ſat erit. Nonageſima nona ipſorum Decretorum Diſtinctio ex Africanæ quoq; ſynodi ſententía, non permittit, primæ ſedis epiſcopum, principem ſacerdotum, vel ſummum ſacerdotem, vel alio huiuſmodi nomine appellari, ſed primæ tantum ſedis Epiſcopum. Ergo ſi concilium ea tempeſtate non ſuſtinuit, vt aliquis Epiſcopus inter cæteros primi ſibi nomē aſſumeret, quantò tuliſſet minus aliquē factis etiam nedum ſolo nomine aliorum omnium eſſe primum? Qua ex re licet animaduertere, quo primum tempore hoc habitum eſt Concilium, papiſticæ huius Monarchiæ nullam adhuc in orbe mentionem extitiſſe. Huc accedit, quod Gregorius primus, cui, Sabiniano tantū interpoſito, Bonifacius tertius ſucceſsit, paſsim per ſua ſcripta teſtatur, neq; ſe, neq; Antiſtitum aliquem Romanorum, qui ſe præceſſerint, voluiſſe vnquam Vniuerſalis Epiſcopi nomen admittere: quin potius hunc aliorum primi capitis titulum, tanquam profanū, ambitioſum, ſuperbum, atq; adeò Antichriſtianum ſemper & aborruiſſe, & exploſiſſe. Quo ſanè fieri conſpicuum eſt aut Gregorium eſſe mendatij arguendum qui neget inter Epiſcopos aliquam poteſtatem fuiſſe primariam ante ſeipſum: atq; vna cum ijs, qui præceſſerant, Epiſcopis Romanis etiam in Deum iniurium, qui diuino iure ſibi traditam poteſtatem accipere adminiſtrareq; recuſauerit: aut papiſticos Adulatores falſitatis conuincendos, qui confingendis iſtiuſmodi rebus, eorum, qui ante Gregorium extitere, ſcripta corruperint, adden-

addentes, vel adimentes inde quicquid ad constabiliendam hanc ipsam Monarchiã expedire iudicauerint. A qua sanè deprauandarũ scripturarum consuetudine non abhorrere papistas vel id indicio est, quod etiam cũ Meleuitani Concilij Decretis eorũ nonnulli hoc idẽ facere tentauerunt. Astipulatur hac in re nobis Isidorus: qui in volumine de priscis Concilijs Zosimum Papam Concilio Niceno primo Canonem vnum ad suam vel ex parte tyrannidem confirmandam falsò addere voluisse refert. Atqui hîc fortasse quispiam mihi dicat, alias à Gregorio Synodos hanc Romano Pontifici dignitatem concesśisse: huic (ille inquit) ego responsum hoc dabo, id nequaquam legitimè fieri potuisse: quum eorundem Pontificum Canones ità præscribant: vt si contingat super eadem re sententijs inter se varijs dissidere Concilia, illius Synodi sententia magis teneatur, cuius antiquior & potior (sic ipsi loquuntur) extat autoritas, vt quæ diuinis literis magis consentanea sit. Insuper, aiebat, quum ipsum Christum Ecclesiæ suæ caput esse nemini dubium sit, Si Pontificem Romanum itidẽ caput esse constituerimus, Ecclesiã ipsam Geryonacei canis instar duo simul habere capita necesse erit: id quod vtiq; monstrosum foret. Paulus Apostolus integram imaginem veræ Ecclesiæ suis Ephesijs ob oculos ponens, non mòdo nullam alterius capitis quam Christi mentionem facit: Sed ostendit potius rem á Christiana institutione prorsus alienam esse, aliud caput huic velle, quam Christum adiungere. Ad hæc si Romanum Pontificem Ecclesiæ Christianæ caput esse concesserimus, asserendum erit, hanc ab ipso vitalium spirituum, quibus alitur ac nutritur, defluxus recipere: puta pec-

Dist. 50. cap. Domino Verbum de verbo.

Gargitius vocabatur Js canis Cerberi frater.

catorum condonationem, diuinum in seipsam fauorem, atque vt vno verbo complectar omnia, perpetuam, sempiternamque salutem. Sedenim quum satis constet ipsam Ecclesiam vitalem hanc, vel spiritalem magis ac salutarem vitam non nisi ab vno capite Christo, vnde omnis plenitudo exundat in membra, percipere (non enim vllum aliud nomen est sub cœlo datum per quod seruandi simus) necessariò consequitur solum Christum Christianæ ecclesiæ, quæ mysticum est ipsius corpus, verissimum esse caput.

DIA. Dij boni quam audacem Causidicum in hæreticis huiusmodi recensendis opinionibus audio. Equidem miror Ecchium non illicò iussisse hominem comprehendi & vstulari.

HER. Per quam libenter id effecisset Ecchius, nisi Magistratus obstitisset autoritas. At Rhetorũ æquissima iura molestis ranis, ne mordeant, excrescere denteis haud permittunt: quin illas etiam ne coaxent importunè, Seriphiis magis mutas reddunt, atque inter Acanthias cicadas collocant. Verumtamen Ecchius ipse pro loco prudentissimè excepit. Se nimirum Enchiridion quoddam aduersus Lutheranos edidisse, quo libello & hanc, & alias quæ nostra tempestate vigent, hæreses bellissimè confutauerit. Si vellet hunc ipsum perlegere, viam atque aditum patere, quà se non difficulter à suis erroribus reuocare posset. Tum Causidicus Ecchij, inquit, contra Lutheranos Enchiridion perlegi: Libelli tamẽ auctorem de facie non noram. Quod si tute scriptionis illius Auctorem facis, benè habet, iam integrum est mihi, quid eruditi, pijque viri de illa sentiant, coram in os indicare. Plerique omnes arbitrantur: arbitrantur autem?

immò

immo verò planè affirmant, te quidem quum eam lucubrationem ederes, partum luce prorsus indignum in lucem dedisse, incredibiliq; infantia non nisi meras nugas, aniles fabulas, figmentaq; numeros omneis impietatis habentia vt crapulam exhalares euomuisse: quod apud imperitos audatia tibi pro sapientia vti licuerit.

DIA. Si Romæ nūc esset Is Causidicus, oh quā pulchellam hostiā Tyberino aut Vulcano potius offerremus. Verū prosecutusne est Papę res lōgiori sermone?

HER. Prosecutus omnino. Nam subintulit mirum non esse Papam ipsum grauem tyrannidem in quos ille vocat laicos, vsurpare, quum & in suæ ipsius Ecclesiasticæ Hierarchiæ viros etiam idem efficiat. Nonne, inquit, Romanus pontifex eisdem suis gregalibus præter alia propè innumerabilia onera, quæ illis ipsis imposuit, etiam matrimonio interdixit? nulla sacrarum literarum tā veteris, quam noui testamenti quæ contrariam sententiam comprobent, habita ratione? An non tibi videtur hoc fuisse pondus intollerabile? Et quanquam Græci huic inhumanissimo iugo ceruicem nūquam supponere voluerint: latini vero diu quidem & ipsi pro virili parte restiterint, ne subiugarentur, vt in Actis huius causæ gestis cum Sericio, Callisto, Eugenio, Sergio secūdo, Gregorio & primo, et septimo, Nicolao primo, Romanis pontificibus: item cum Meldensi concilio, Carthaginensiq;, ac Romano videre est, paparum tamē Sathanicus impetus tot effossis clam cuniculis impetiuit hāc arcem, tot adhibuit machinas ac tormenta, vt externa deniq; victoria sit potitus.

Idem Nicena Synodus prima.

DIA. Insignem calumniam Papis inurit Is Causidicus hoc in loco: atq; illos falsò crudelissimi dominatus insi

mulat, quum non tyrannidis, sed castimoniæ atq; honestatis ergô ea sit lata sanctio: Nam & in veteri testamento etiam scriptum extat. Estote sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.

HER: Rectè quidem, Etenim quî non sit æquum eiusmodi Viris ad castitatem seruandam legitimũ coniugium prohiberi, quũ Gallos Cybelis Ministros antiquitus ea de causa etiam castrari mos esset? Atheniensiũq; Sacerdotes Hirophantas cicutæ haustu seipsos euirare?

DIA: Nolim equidem eo pacto castitatem mihi seruandam proponi. Quod si quis putet rem huiusmodi secretò fieri, absq; vllis Arbitris posse, sciat Is mihi rem displicere sine testibus factam, quemadmodum etiam Cõbabo displicuit, quũ illi Seleucus Rex peregrê proficiscentem suam Stratonicen commendauit.

HER. Enimuero lepidè ac venustè. Nam vobis Clericis, si mutili non sitis, licet coniugio sit interdictum, haud propterea tamen est vetitum ad aliorum vxores etiam sine metu talionis accedere. Quin potius

Corrumpit sine talione Cœlebs.

> Antiquum & vetus est alienum Clerice lectum
> Concutere.

Vt interim de vestris alijs libidinibus vagis, de Ganimedibus, Catamitisq; nihil dicam. Sed vt ad Causidicũ nostrum reuertamur. Cœpit is etiam mox alijs quibusdam de rebus ad Liberum Arbitrium Regem attinentibus loqui: dixitq; primum quidem præter officium fecisse Papam, improbèq; adeò egisse, quum in Christianorum societatem ab initio sceleratum hunc hominem veluti postliminio reduxerit: qui prius quo tempore illum Pellagius & Cœlestius introducere tentassent,

ſent, ab Innocentio ſui nominis primo, & ab Arauſica-
no Concilio fuiſſet expulſus: Deinde uerò etiam pro-
ditæ Diabolo reipublicæ Chriſtianæ, reum eſſe factũ,
quum hunc eundem & Regem inſtituerit, & bonorum
operum opulentiſsimo Regno donauerit: quandoqui-
dem Is continuo poſt adeptam coronam ſeſe ad tantam
extulerit ſuperbiam, ut arroganter, ac temere ſibi per-
ſuaſerit, ſe ex ſe poſſe, & eligere, & velle, & facere quic-
quid libeat: poſſe quum bona, tũ mala omnia ſuo arbi-
tratu operari: poſſe deniq;, per ſuas haſce, quas ipſe vo-
cat bonas operationes, in cœlo ſibi ſempiternã fœlicita-
tẽ parare. Miſer qui non animaduertat abeſſe tantũ vt
hæc præſtare per ſe poſſit, vt ne cogitandi quidem horũ
aliquid aliquam ex ſe vim habeat. Atq; hinc arrepta de
Bonorum operum Regno loquendi anſa Cauſidicus
Ecchio nouam attulit quæſtionem. An videlicet Chri-
ſti Ieſu Apoſtoli in Prouinciã Miſſam fuerint vnquã,
vt complures opinantur, ingresſi: & an illam honorifi-
centiſsimè, vt modo ſanè celebratur, celebrauerint. Cui
Ecchius ingreſsos omnino fuiſse reſpondit: aſserens &
Petrum & cæteros Apoſtolos, & Iacobũ Hieroſolymi
tanum Epiſcopum identidem illam frequentaſse: quã-
uis eorum tempeſtate varijs cultibus exornata, veluti
nunc eſt, adhuc non eſſet. Atqui ego, (inquit Cauſidi-
cus) ex contrario contendo, nunquam illuc Apoſtolos
contendiſse. Et quodnam obſecro magis euidens ar-
gumentum ad id afferri poſſit, quam quod ipſis viuen
tibus ea prouincia nondum in actu (vt uos Theologi
Scholaſtici conſueuiſtis loqui) etiam tunc extiterit: Id
quod ex hiſtoriarum veſtrarũ libellis, quemadmodum
& ſuperiora cõfecimus, facillime commonſtrabo, palam
profe

proferens eos omneis, qui hanc ipsam per singulas eius parteis erexere: atque in eandem & barbaram linguam, & impios ritus inuexere. Iam igitur quo per seriem ad hanc rem aggrediar, primum dico Cælestinum pontificem romanum Prouinciæ huius Introitum exædificasse Gregorium vero primum Kirie eleyson in ea repeti nouies, offerriqꝫ Offertorium ordinasse: Porrò Thelesphorus, Gloria in excelsis Deo, atqꝫ etiam Tractus, hîc dici uoluit: Gelasius, Collectas, et Gradualia, et Præfacia simul apportauit: Gothgerus Abbas Sangallensis ineptas quasdam Sequentias adiunxit: Damasus, Alleluia ex ecclesia Hierosolymea sumptum, nec non epistolas, atqꝫ euangelia recitari constituit: Marcus Nicenum Symbolum: Xystus vero interposuit, sanctus, sanctus, sanctus: At quidam Scholasticus nomine sacrum inseruit Canonem. Leo secundus, Pax domini, atqꝫ Innocentius primus eius pacis osculum introduxit: Pelagius cõmemorationem Defunctorum inuexit: Sergius secundus attulit, Agnus Dei qui ab ariete Phrixeo ducẽs originem, aureum vellus & ipse habet. Leo tertius, hanc thure suffumigauit: Vrbanus primus aureis, atqꝫ argẽteis vasis exornauit: Alexander primus vinũ hîc aqua dilui præcepit: Stephanus primus vestium, atqꝫ indumentorũ formam, qua Incolæ vterentur, instituit: Gregorius quintus Cantiones, quas Gregorianas appellãt, ad inhabitantium demulcendas aureis adhibuit. Atqꝫ ij quidem sunt authores & Archytecti, qui longo post Apostolos interuallo Missam Prouinciam veluti quibusdam centonibus, & miscelaneis in vnum consarcinatis extruxere. Quod quum re uera ita sit, qui quæso audetis vos papistæ scelus tam nefarium facere, vt pertinaciter.

ter asseueretis Apostolos eã incoluisse Prouinciã, quæ sua ipsorum nondum existebat ætate? Et quanquã alij alios etiam Fabricatores, aut alioqui alio modo nonnullas huius Prouinciæ parteis architectatos esse non infirmis coniecturis existiment, pro comperto tamen apud omneis eruditos ac pios id viros est, a quocunque tandem eæ partes fuerint extructæ, synchronas Apostolis non fuisse. Quin illud affirmare non dubitẽ, ipsos apostolos, si contingeret nunc rediuiuos huc reuerti, magis hanc esse Prouinciam euitaturos, quam Romana Curia Christianum, generale, liberumq́ Concilium subterfugiat: quum, nulla sanè alia in toto terrarũ orbe Prouincia sit vbi sceleratius quottidie millies Iesus Christus venundetur: vbi precium sanguinis ipsius magis nefariè proteratur: vbi deniq́ alienis fortunis per hanc occasionem diripiendis auidius inhietur: ità vt exterorum bona fructusq́ quotannis etiam renascentes, ab ipsius Prouinciæ populis haud secus atq́ Titij iecur à Vulturibus perpetuò exedantur. Frequens huc insuper eorũ mercatorum confluit numerus, quibus solis, vt in Apocalypsi Ioannes ait, & emendi, & vendendi facultas est, propterea quod soli etiam Bestiæ sint caractere insigniti.

DIA. Quis non huic Zoilo pestem exoptet, vel potius vt in Phalaridis taurum conijciatur? quando verbis tam malignis ità debachari audet in eam Prouinciam, quæ sanctitate, ac potentia longè alijs omnibus Bonorũ Operum Regni Prouincijs antecellit? ac non modo totum hoc regnum, sed vniuersam simul papisticam Monarchiam, velut Arx quædam munitissima tueatur, ac seruet?

HER. Recte tu quidem. At quid ad Causidicum? qui huiusce Regni Prouincias, Vrbeisq; contemnit? ac nullo numero penitus habet? Nam statim ab ijs cœpit Ecchiũ denuo interrogare an crederet, Vrbẽ quã dicũt Auricularem Confessionem, à Iesu Christo per Apostolos in Pœnitentia Prouincia fuisse conditam, vt vulgo homines opinantur. Cui Ecchius fuisse conditam respondit, atq; id etiam argumentis ex Euangelio desumptis apertissimè demõstrauit, hoc modo. Iesus Christus ità suos apostolos allocutus est. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Neq; noscent, neq; possent Apostoli, Apostolorumue successores aut remittere, aut retinere peccata, nisi distinctam eorum notionem per singulorũ enumerationem ex peccantis ore prolatam haberent. Iacobus etiam Apostolus Confitemini inquit, inuicem alius alij delicta, & orate pro vobis inuicem, vt sani sitis. Lucas quoq; in Apostolorum Actis ait: Ex credentibus non pauci veniebant, confitentes & anunciantes facta sua.

DIA. Et quid hîc obsecro potuit contradicere Causidicus?

HER. Non defuerunt homini diuerticula. Principio Scholasticorum Theologorum hac de re opinationem totam commentitiam esse dixit, quum in nullo diuinarum scripturarum loco inueniatur, Iesum Christũ eam Vrbem iussisse vnquam aut ædificari, aut incoli: Sed ab Innocẽtio huius nominis tertio, Lateranensiq; Concilio fuisse constructam aiebat. Quod verò ad introductas ab Ecchio sententias attinet, respondit, Apostolos, eosq; qui succedant Apostolis, duplicem habere potestatem

ftatem, vtran꞉ tamen in ſolo Dei verbo, non in ſeipſis reſidentem: quarum altera, Miniſteriũ: altera, Iuriſdictio vocari poſsit. Ac Miniſterij quidem facultatem eſſe, inquiebat, Sacris de rebus liberè concionari: Sacra ſigna, quæ Sacramenta nuncupantur, petentibus conferre: ac peccatorum remiſsionem omnibus tam publicè ꝙ priuatim anunciare. Nec præcipitur hîc alterius alicuius vel agnoſcere vel iudicare delicta: Sed ſolummodo delictorum omnium remiſsionem ijs anunciare, qui in Ieſum Chriſtum ex animo credant. Iuriſdictionem verò nihil aliud eſſe, ꝙ externum quoddam Eccleſiæ iudicium, quod quidem non niſi ad manifeſta pertinet crimina, vt eorum Autores aut excommunicentur, aut abſoluantur. Vbi nemo non videt, rectè ſententiam ferri non poſſe, niſi præcedat culpæ cognitio: quandoquidẽ nullus in præſentia, atq; ante oculos Eccleſiæ niſi de obiecto crimine iam conſtet, excommunicandus eſt: atq; è contrario nullus abſoluendus, niſi re palam cognita ſimiliter conſtet, eum criminoſam, priſtinæ vitæ partem à prauitate ad mores optimos conuertiſſe. Quod ad Iacobum attinet, dixit, Apoſtolum per ea verba nihil ſibi aliud voluiſſe, quam vt nos mutuo in omnibus cum animi, tum corporis ægritudinibus, miſerijs, caſibuſq; conſolemur, offenſiones fratribus illatas deprecemur, ac pro ijs omnibus inuicem Deum obſecremus. Enimuero ſi de Confeſsione Auriculari Vrbe à Papiſtis condita loqueretur Apoſtolus, oporteret ſanè illos tantũ, quibus inibi ſoluendarum & ligandarum mercium cura demandata eſt, eam Vrbem incolere: id quod à vobis tamen minimè omnium conceditur. Sententiam verò ex Apoſtolicis Actis acceptam ità expoſuit, vt diceret,

eos credenteis nullam ſingulatim factorum ſuorum exemologeſim adhibitis vna circumſtantijs, quas vocant in alicuius aurem ſecretò recitaſſe: Verum tantummodo eſſe faſſos, atq; id quidem publicè ſeſe quamplurimis criminibus, ac delictis eſſe obnoxios: vt quiuis etiam alius verè Chriſtianus fateri liberrimè conſueuit.

DIA. Reſpondit nè viciſſim Ecchius his Cauſidici reſponſis?

HER. Reſpondit quidem. At nimis longum eſſet hîc omnia nunc referre.

DIA. Fateor. Sed vel vnum è multis excerpito, quod magis arrideat: illudq; ſolum renarrato.

HER. Id ergo ſolummodo referam, quod ſuper poteſtate Papæ ipſe Ecchius repetiuit: quod id quam cætera omnia, vobis gratius futurum putem.

DIA. Ità ſanè.

HER. Igitur quum in hac ipſa de Papæ poteſtate tunc inſtituta diſputatione, à Cauſidico quæ ſuperius paulo dicta ſunt, reſponſa tuliſſet Ecchius, hoc pacto ſermonem incœptum proſecutus eſt, inquiens. Negare non potes omnem poteſtatem eſſe á Chriſto Ieſu Eccleſiæ traditam: quum vt Etnicum haberi velit, qui hanc ipſam non audierit. Inſuper inficiari non licet, generalia Concilia eandem Eccleſiam referre, atq; adeò ipſam repræſentatiuam quā vocant, Eccleſiam eſſe, quæ tam diuinis, quam humanis in rebus decernendis, approbandis, atq; interprętandis errare nequeat: Ipſo etiam teſte Ieſu Chriſto, qui ait: Vbi duo vel treis fuerint in nomine meo congregati, in medio eorum ſum. Quā obrem quum ipſe Papa ſimul & Conciliorum ſit, & Eccleſiæ caput, vtriuſq; poteſtatem & autoritatem in

ſcrinio ſui pectoris continet: Quumcꝫ diuinæ præcipiant literæ, vt audientes dicto ſimus præpoſitorum noſtrorum, ipſius Papæ tanquam Præpoſitorum Præpoſiti non iniuria ſubeſſe debemus imperio: atcꝫ eius pariter iuſſa omnia ſeruemus neceſſe eſt.

DIA. Quæ reſponſa de integro dedit Cauſidicus Ecchianis huiuſmodi exceptionibus?

HER. Primo veluti ſubridens dixit, ſe non poſse ſatis mirari Scholaſticorum Theologorum ſtupiditatem: qui ſemper eandem viam inſiſtentes, atcꝫ ad eundē lapidem impingentes pro certo ſumant id, quod adhuc dubium controuerſumcꝫ ſit. Etenim Papam Eccleſiæ caput haberi volunt, quū tamen tantum abſit eos idipſum probaſse, vt nos potius contrarium liquidò demonſtrauerimus. Deinde ſubiunxit eam omnem autoritatem & poteſtatem, quam & Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis Miniſtris Ieſus Chriſtus contribuiſset non propriè in ipſos homines, ſed in ſcripturarum diuinarū oracula, quæ ipſi adminiſtrent, eſſe collatam: adeocꝫ huic eidem inhærere, vt quoties eccleſia iuxta Dei verbum aliquid inſtituit, præcipitue, neceſſariò ſit illi obtemperandum: Sed quum ipſe Papa, ſeu Papiſtarum Concilia ſibi perſuadent, ſe poſſe ſub Eccleſiæ nomine, noua dogmata, nouaſcꝫ leges, extra verbi Dei præſcriptum ferre, atcꝫ ex ſeipſis quouis iure aliunde ſibi, quā ex verbo Dei vendicato, quicquid libuerit imperare illam, aiebat, non eſſe Eccleſiam, & diſcipulam Ieſu Chriſti, & ſpōſam, quæ non niſi Magiſtri & ſponſi ſui vocem audiat: Sed Satanæ ſinagogam quandam, cuius quidem ſe Papa, vt iā antea dictum eſt primarium caput conſtituerit. Nam non modo quæ nunc diximus, efficere ſibi Papa cum

 ſuis

suis extra diuinam scripturam hodie licere volũt. Verum insuper addunt, eam ipsam scripturam nullum firmamentum ac robur obtinere, nisi à seipsis approbata sit, & suo ipsorum modo exposita, nimirũ sibi, atq; alijs persuadẽtes sua itidem ipsorum Dreketa sanam esse diuinæ scripturæ interpretationem: ô blasphemias non ferendas Hominum censuræ diuinum Verbum velle subijcere. Iesus Christus ipsius dei verus filius, quem vnum omnes vehementer Autorem sequi debent, hanc sibi noluit autoritatem vsurpare, vt aliquid nobis, quod in sui patris doctrina non cõtineretur, præciperet: Apostoli quoq; ab ipso Christo per orbem missi, non sunt ausi quicquam aliud nobis proponere, quam quod ex eadem doctrina proponendum acceperant: & Papa tamen cum suis Concilijs talem & autoritatem, & potestatem, contra etiam, nedum extra isthanc ipsam doctrinã sibi arrogat, vt suo ipsius arbitratu instar numinis alicuius & præcipiat, & prohibeat, non modo quicquid in mentem, Verum etiam quicquid in buccã venit. Vnicum legislatorem habemus, ac Iudicem, qui & seruare potest, & perdere, nempe Deum ipsum, non aliquem omnino mortalium. Is hanc sibi soli, quum gloriam, tum honorem seruat, vt sua vnius voluntas iustitiæ ac sanctitatis omnis, & lex: & norma, & regula sit: vt solida recte viuẽdi scientia, ex eius vnius integra synceraque cognicione petatur: denique vt solus ipse merum imperium, cui quidem sine vlla exceptione parendum sit, in animas nostras habere existimetur. Atenim Concilia si in Christi nomine congregentur, hanc ab ipso habent autoritatem, vt sanctiones, ad externas ecclesiæ cæremonias, externamque disciplinam pertinenteis ferre valeans

ant. Attamen id quoque intra Dei Verbi præſcriptum: quoniam quæ fineis eiusmodi quauis de cauſa prætere unt Concilia, neutiquam audienda ſunt. Quin re ipſa videre eſt eorundem etiam teſtimonio, ijs omnibus, qui eos limites pertranſire tentauerint, vſque adeò male ceſiſſe, vt non tantum in ſexcentos errores deciderint, impiasque frequenter ſanxerint conſtitutiones: Verum etiam per crebrò ſibi ipſis contraria fuerint: vt quod vnum ex ijs iubeat, alterum vetet, quod unum approbet, alterum re probet, & è conuerſo: eam videlicet ob cauſam, quod in Ieſu Chriſti nomine non fuerant congregata, licet ſe Spiritum ſanctũ habere perpetuo iactent. Sanctũ illud numẽ ibi eſſe nõ cõſueuit, vbi nõ eſt Chriſtus ac verbũ Dei: quæ duæ profectò res euidentiſsimum ac certiſsimum exhibent ſignum, vnde vera Concilia ab adulterinis, & ſacroſancta Dei Eccleſia ab impia, fictaque Papæ Synagoga diſcerni queant.

DIA. Si ſuarum rerum potius quam hæreticarum huiuſmodi quæſtionum ſatageret. Is Cauſidicus, minus multi ipſo Patrono cauſa caderent. Verum mi Herme fecit nè Is vllam inter loquendum poſtea de Monachatu Prouincia mentionem? Scire aueo quinam huius Prouinciæ Vrbeis à principio fundauerint, & quonam tempore ipſarum vrbium Sectæ primam originem habuerint.

HER. Fecit quidem, ſed quam breuiſsimam: Etenim priuatarum eiuſmodi nullius momenti rerum hiſtorias eſſe confuſas aiebat: earumque ſcriptores neque de Autorum, qui Vrbeis ipſas condidiſſent, nominibus, neque de tempore, quo eſſent conditæ, conſentire.

DIA. Rogo te ne graueris vel vno verbo, quid hac de re

de re Causidicus dixerit, referre.

HER. Quæ mihi succurrēt, quam fieri poterit breuissime narrabo. Quum iam cum Ecchio diu multum, varijs de rebus Causidicus disputasset, per occasionem denique de Monachatu quoque prouincia sermonem ingressus ità ferme locutus est. Monachatum prouinciam quemadmodum & alias omnes Bonorum operum Regni Prouincias ab antiqua conditione vehemēter adeò degenerasse, vt in pessimum iam statum sint redactæ, nemo est qui ambigat. Humanarum enim rerum natura ita est comparata, vt semper in deterius, atque ex eo quod bonum appareat, in id quod re uera malum sit, facilè vergat. Olim hæc Prouincia tuta erat absque eius arcis municione, quam Votorum Monasticorum professionem appellant. Ipsiusque Vrbes hominū virtute præditorum velut hospitia quedam, gymnasiaque habebantur: in quibus quum diuinarum literarum studijs, tum pijs, bonisq; omne genus operationibus liberius exercēdis ijdem incumberent. Verum insecutis temporibus hæ ipsæ Vrbes, Ouidianis fabulis deformiorem passæ sunt metamorphosim. Nam è proborum Virorum honestis liberisq; gymnasijs, facinorosorum hominum turpissimi carceres, nequitiæ, flagitiorūq; omnium diuersoria, vel ergastula potius euaserunt. Sed vt ad id, quod seorsum abs te requisitum est, iam deueniam, è suis historijs Causidicus tandem ostendit, haud ita multo post quam hæc Prouincia ab Anachoretis in AEgypto, Palestinaq; inhabitari cæpisset, Basilium Cæsareæ Cappadocum Episcopū Basilianā Vrbē annis â Christo Nato plus minus CCCLXXX. construxisse: atque Arcis Monasticorum Votorum professionis ibidem prima iecisse fundamenta

ta. Quanquam Thomas Aquinas falsam nonnullorum opinionem temere comprobet: qui iactitant ipsius arcis fundamenta in Sione monte quondam fuisse per Apostolos iacta: quo tempore iam in cælũ recepto Iesu Christo sese trium votorum reos ij facere, atque omnia inter se habere communia, nullo herciscũdæ familiæ sibi iure seruato, constituerint. ô Thomisticam subtilitatem. Hieronymiana Vrbs à Stridonensi Hieronymo circiter CCCXC. Annum ab orbe redempto fuit condita. Augustinianam Vrbem, Augustinus Hipponensis Episcopus. Anno restitutæ per Christum salutis. CCCCX. fabricatus est: deq; ipsius habitatione non nisi Mulieribus (vt fama est) primum accomodauit. Sedenim quo deinde pacto, aut quo potissimum tempore Virorum etiam Coloniæ illuc profectæ sint, haud satis compertum habemus. Eremitanorũ Secta prima videri vult, quæ in hanc ipsam ingressa sit Vrbem. Canonici verò regulares hoc ipsum sibi ipsis attribuunt: atq; ità inter se de caprina huiusmodi lana vanis quibusdam ratiunculis, vel vt verius dicam, meris nugis digladiantur. Verum vtvt id habeat, satis constat, alias quoq; Sectas in eam fuisse introductas. Nam & Northbertus Lotharingus Præmonstratenseis à Callisto secundo confirmatos: & Ricardus Cornubiæ Comes Bonos, quos vocant, Homines: Et Stephanus Iacobusq; Senis oriundi Scopettinos Gregorij vndecimi calculo comprobatos, nouas huc tanq; Colonias deduxere. Quos etiam subsecuta est Frisoniana Secta, quæ & Lateranensis nuncupatur, ab Eugenio quarto plurimum adaucta: Et Crucifera Nigra, quæ crucem bicolorem ex albo, nigroq; confectam gestat in pectore. Postremo Laurentius Iustinianus Patricius Venetus

Cornubia is est in Britãnia locus qui quõdam Pelenum Promontoriũ dicebatur.

Diui Georgij in Alga nuperam & ipse familiam aduexit. Benedictinæ vrbis ædificator, extitit Benedictus Nursinus Anno circiter DXXX. à Christi natali die. Quæ sanè Vrbs licet inde vsq; à principio satis ampla iam esse videretur, adeò tamen postea per angulos omneis excreuit, vt sua nunc mole penè obruta ruinam aliquam nō vna ex parte minitetur. Primus in hāc ipsam

Anno D. cccc xvi.

Odo Burgundus Abbas per Gulielmū Aquitaniæ Ducem non aliter Cluniacēseis inuexerit, quam post hunc

Anno M. lx.

Romoaldus Rauennâs Camalduenseis, Ac deinde Ioannes Gualbertus Florentinus Vallisumbrenseis: & Ste

Anno M xc.

phanus Aquitanus Grandimontenseis. Atq; eodem ferè tempore Robertus Molismensis Abbas Cisterciense is introduxit. Post quarum quidem Coloniarum deductionem annis fermè centum, ingens hominum turba è Cisalpina Gallia in Germaniam bellorū quorundam occasione translata, moxq; per Federicum Oenobarbū, siue vt alij opinantur, per Henricum Cæsarem in patriam redire permissa, Humiliatorum Sectam, quam & Syluestrensium nominant, ab Innocentio tertio, alijsq;

Anno M. Mcclxxv.

aliquot Pontificibus Romanis comprobatam huc aduexit. Humiliatos insecuti sunt Cœlestini: quos Cœlestinus quintus, è suo ipsius vocatos nomine, sic eodem importandos curauit, vt & Martinus itidem quintus Eremitanos quosdam: qui prius inter Hieronymianos extiterant, comportauit. Præterea Bernardus Ptolemeus

Anno M. cccc vii.

Montoliuetenseis suorum Senensium Colòniam, & Ludouicus Barbus Venetus, Diuæ Iustinæ Sectam, quæ postea Casinensis dicta est, non ità longo inter se temporis interuallo huc & ipsi transtulerunt. Possem hîc, inquit, & alias referre familias, aliunde etiam, atq; ab

alijs

aliȷs diuerso tempore in hanc Vrbem inuectas, quemadmodum Gilbertenseis è Britannia: Mellicenseis, Castellenseis, ac Burfeldenseis, è Germania: Sed ne minutatim his addendis insistam, ad alia quoq; iam referenda deueniam. Vrbem Cartulianam Bruno Coloniensis Lutetiæ Parisiorum publicus Philosophiæ professor extruxit. Huius autem extruendæ quendam amicum, probum alioqui virum, iam defunctum occasionem illi præbuisse aiunt. qui quum in feretro sepeliendus asseruaretur, elata voce dixisse fertur: Iusto Dei iuditio sum damnatus: Ea voce perterritus Bruno cum aliȷs aliquot amicis huius Vrbis latibula construxere. ô Satanicas imposturas. Carmelitanæ Vrbis fundamenta iecit, Almericus Antiochenus Antistes in monte Syriæ Carmelo. Sed hæc ipsa haud ità multo post per Albertum Hierosolymitanum Præsulem incrementi non minimũ accepit: Quousq; tandem Honorius tertius huic supremam imposuit manũ. Crucigerorum oppidum, vt inepta figmenta, quæ de Cleto Petri apostoli discipulo, vel de Cyriaco Hierosolymorum Episcopo conditoribus fabulantur, missa faciam, Innocentium tertium originis autorem habet, ob victoriam (vt rumor est) quam is Pontifex Cruce signatorum, quos in Syriam missurus erat, auxilio Romæ de Albinensi hæresi reportauit: Pius verò secundus vt oppidani cæruleis vterentur vestibus decreuit. Dominicanæ vrbis Archytectus extitit Dominicus Calaguritanus: Qui suæ factionis homines Pedicatores (erraui, Monachatensibus enim populis id nomen commune est, Prædicatores dicendum erat) voluit appellari. Hanc autem factionem Honorius secundus postea suis suffragiȷs comprobauit. Per hæc eadem

Anno M. lxxx.

Anno M. clxx.

Anno M. ccxv.

Anno M. ccx.

dem tempora Franciſcus Aſiſiâs Franciſcanam & ipſe Vrbem erexit, ac ſuos populos, Minores, vocatos ab eo dem Honorio collaudari curauit, Sed enim breuiſsima temporis intercapedine gens vtraq;, tam Prædicatorũ, quam Minorum in duas diſſecta eſt Sectas, nempe in Turmas Conuentualium, atq; Obſeruantium, vt ſeſe nuncupant. Iiſdem propè temporibus hæc eadem Franciſcana Vrbs per Virginẽ nomine Claram, quæ & ipſa Aſiſiâs erat, adaucta eſt Pauperum cœtu: Cuius tamen bona pars è fœminis eſt conflata. Poſt hæc verò & Pœnitentium, & Minimorum, & Capucinorum, quos nominant, variæ in hanc Centuriæ noſtra etiam memoria ſunt ingreſſæ. Trinitatis Vrbem Innocentius tertius, quo de ſupra ſæpe iam meminimus, ad Ioannis Mattæ, ac Fœlicis Anachoretæ preces inſtituit: Eiuſq; Ciueis Monachos de redemptione captiuorum, dici voluit: eam videlicet ob cauſam quod ijs negocium demandatum eſſet, vt Chriſtianos ab hoſtibus captos eleemoſinis redimendos curarent. Seruitanæ Vrbis Philippus Florentinus medicus Extructor fuit. Is incolarum Conuentus Virginis Mariæ ſeruos appellauit, nulla interim de filio Virginis habita mentione: Benedictuſq; vndecimus id confirmauit. Ioannes Columbinus Senenſis Ieſuatanum Pagum mœnibus cinxit, & ſanxit
Anno M ccc lx viii. eius loci homines Ieſuatos appellari: quum prius Apoſtolici Viri nuncuparentur. ob id opinor, quod frequẽs in ore Ieſu nomen habere ſoleant: an verò etiam in corde, ipſi viderint. Nihilominus mos iſte adeò placuit Vrbano quinto, vt ipſum inſtitutum penitus approbauerit. Quemadmodum etiam per eadem tempora idem Pontifex Brigidenſem Vrbem à Brigida Suetiæ Prin-

cipe aratro designatam, in ipsius Viduæ gratiam collaudauit. Secta verò, quam hæc ipsa Mulier in hanc suam Vrbem introduxit, è promiscuo Virorum, Fœminarumque constat Vulgo: quos in vnis ædibus indiscriminatim, muro tantum interposito, præter cæterarum huius Prouinciæ Vrbium consuetudinem inhabitare voluit. Nam alibi separatas á Mulieribus domos incolunt Viri: quod vtique tamen nihil impedit, quo minus vtrique inter sese lasciuis amoribus, fœdisque libidinibus continuam operam nauent: propterea quod nec obiecti parietes, nec distinctæ â reliquis vestes Venereas incensæ carnis cupiditates inflammatique animi libidinosos ardores natura insitos extingunt. Verum de primoribus huius Prouinciæ oppidis hæc dixisse iam sufficiat.

DIA. Omnino isthæc Prouincia pulcherrimis est Vrbibus referta. Sed quod maximum mea quidem sententia pondus habet, hoc est, quod ipsarum Vrbium populi sanctissimis institutis, optimis legibus, ac perfectissimis regulis suas respublicas moderantur: quibus quidem institutis, qui pro naturæ communis fragilitate seruandis diligenter incumbunt, haud sanè difficulter & probi & iusti euadere consueuerunt.

HER. Hoc minimè omnium approbat Causidicus. Nam si, inquit, Israeliticus populus per diuinæ legis opera fieri iustus apud Deum non potuit, quantò minus ij per suarum legum aut regularum operationes coram Deo iustitiam consequentur? Testatusque hîc est insuper olim se Nicolai Reij equitis Poloni carmen egregiũ patria ipsius lingua disertè conscriptum perlegisse: quo quidem Is, qua ratione iusti apud Deum homines re ipsa fiant ob oculos elegantissime posuerit. Cuius etiam

rei causa non inepto penitus epigrammate fuerit ab amico non vulgari donatus: Epigramma verò ipsum à Causidico recitatum, si mihi non excidit, huiuscemodi plane extitit.

Reius eques, Virtus cui candida Regis Achatem
  Esse sui tribuit,
Compellans patrio dulceis sermone Camœnas
  Concinit ore pio
Iustitiam semel amissam, absumptamq; salutem
  Primi hominis vitio,
Humana non posse iterum virtute parari,
  Nec prece, nec precio:
Sanguine sed Christi tantũ: Quẽ summus ab alto
  AEthere Patris amor
Misit, vt id præstet: Reparataq; munera soli
  Conferat hæc Fidei.

Postremò non grauatus est Causidicus etiam narrare, quo tempore, & quibus Authoribus Confraternitas quoq; Vrbs huius Prouinciæ populis fœdere cõiuncta, sua intromiserit sodalitia. Verum quia res est parui momenti, & præterea mihi domum iam redeũdum est, eorum hîc omnium relatione supersedebo.

DIA. Ità censeo facias mi Herme. Quin & mirificas tibi gratias ago, vel eo nomine, quod hæc tam collata diffusaq; oratione recẽsueris, atq; hîc mea causa tandiu fueris immoratus.

HER. Nihil actione gratiarum est opus, etenim quod debui, persolui Sed iam valeas:

Actus

ACTVS TERTII

SCENA QVARTA.

DIACONATVS, FELINVS.

VT arriſerunt Feline tibi noſtri Hermetis collocutiones? An non tibi viſi ſunt hi noſtri Theologi ſcholaſticarum diſciplinarum peritisſimi?

FE. Suſpendẽdum hîc mihi iudicium eſt, quod me non explicem. Nam vt ipſos Theologos omnino laudare non poſſum, itá nunc eoſdem vituperare non eſt animus.

DIA. Quid ex te audio? Itane verò non potes tam eruditos MAGISTROS NOSTROS, totq́ꝫ editis voluminibus claros hîc laudare?

FE. Non hîc mihi de librorum compoſitione nūc agitur, ſed de his, quæ modo retulit Hermes ipſe colloquijs: Etenim Cauſidici ſermones maiorem q̃ꝫ Theologorum vim, ac robur habere (vt verum fatear) mihi ſũt viſi: Huc accedit, quod Ecchianæ hîc argumentationes mei ſtomachi non ſunt.

DIA. Pace tua dixerim mi Feline, non multum hac in re ſapis: arbitrabar te alium, ac ſis, eſſe virum. Non animaduertis noſtras peculiariter eſſe parteis pro parte virili facere, vt ſacrorum canoniſtarum, ac diuinorum Theologorum ſententijs, quæ papiſticam Monarchiã & ſtabiliũt, & conſeruãt, vbiq́ꝫ fides adhibeatur ab omnibus? Quod niſi fieret, vtiq́ꝫ res nobis, ſi nõ ad reſtim, ſaltem ad raſtros rediret: atq́ꝫ opus eſset, vt inde nobis

tenuem

tenuem victum summis laboribus quæritaremus: quū interim rebus nostris per hos benè firmatis, ociosè, ac deliciosè, immò etiam luxuriosè, si libeat, ex alienis bonis, quæ pauperibus debebantur, viuere liceat. Quocirca videndū tibi est, quid agas, ne dum alios tua peruicacia contemnis, tibiꝗ, nobisꝗ omnibus noceas.

FE. Recte admones. Errasse me fateor. Sed in posterum cauebo ne quid eiusmodi mihi amplius ex ore excidat. Verum expediret fortasse quam mox hinc abire, vt Reuerendissimi Cleri mādata iam exequamur.

DIA. Benè & tu hoc iam admones. Eamus,

ACTVS QVARTI. SCENA PRIMA.

BERTVCIVS, PETRVS APOSTOLVS, PAVLVS APOSTOLVS.

Omnia Romæ cū precio.

DIspeream, nisi re ipsa iam comperi, romanenseis aulicos ità esse & auaros, & sordidos, itàꝗ omnia habere quæstui, vt ad nudos etiam homines expoliandos aggrediantur. Nihil quamuis honestum aut minutulum sine precio ab ipsis extorqueri potest: quemadmodum è contrariò, nihil quamuis inhonestū, aut maximum, maximeꝗ nefarium ab eisdem negatur, dolosi modo spes refulgeat nummi. Arbitrabar me per Papæ Proxenetas, quos Pœnitentiarios vocant, facilè posse diploma pro Monacho Aracęlensi auferre, vt mihi

Lucri bonus odor est: ex re qualibet.

Actus Elicitus indicarat: Verum deniq; licuit, impetrandi facilitatem non ad pecuniam, sed ad peccata pertinere: quod nulla sit sanè difficultas quominus à quibus uis criminibus, & sceleribus absoluaris: at id prædurum, quod quicquid est auferendũ, ualdè carê auferas necesse est: quum tamen illis omnia gratis constent. Attamen id mea nihil omnino refert, viderit ipse Monachus, cui diploma persoluendum est, quam bene acceptus sit. At enim quinam sunt ij Peregrini, qui plateæ partem inferiorem pertranseunt? Fortasse ex Diuorum cultu Prouincia nobis huc aduenerunt, Septem Vrbis templa, vt moris est, inuisuri. Conueniam homines & alloquar, Saluete boni Viri.

PA. Tu quoque saluus sis.

BER. Vnde amabò vos profecti huc acceditis?

PA. Hierosolymis ab Christi Sepulchro.

BER. Putabam equidem Euangelij veritatem ac lucem vsq; adeò iam per orbem splendescere, vt omnes qui vbiq; sunt mortales, huiusmodi peregrinationes vanas esse, atq; inutiles intelligerent. Sed vt video, vetus error adhuc in multorum cordibus radices agens adhærescit.

PA. Tutòne licet hæc Romæ sic in medium proferre? Non putassem id Papam vllo pacto tolerare posse.

BER. Recte tu quidem, siquidem qui proferunt, agnoscerentur. Verum haud secus hîc nunc, atq; olim Eliæ tempore suos Deus obtegit, & adseruat.

PA. Quid agis Petre? Apparet hunc omnino aliquã diuinarum rerum cognitionem habere. Existimo vt liberè, ità tutê totos posse nos huic patefacere.

PE. Idem sentio.

PA. Quandoquidem è diuino, qui nunc ex ore tuo loquitur spiritu, manifestò deprehendimus, te non Papeum esse Christianum: sed ex Iesu Christi membris vnum aliquem, ac nobis charissimum fratrem, tibi decreuimus indicare, quinam re vera simus, quò quam de nobis concepisti admirationem, deponas. Itaq; scias velim, nos haudquaquã esse Peregrinos, licet petasati per Vrbem incedamus: Verum hic est Petrus Apostolus, ego verò Paulus eius comes: huc profecti, vt ad veritatem reuocaremus rem quandam, quæ nobis ante hosce dies indicata, prorsus incredibilis videbatur. At quoniam verendum erat, ne, si agnosceremur, nobis hîc Romanensium aliquis incommodaret, Peregrinatorum personam induimus, quod eius generis homines in precio Romæ sint ob quæstum videlicet quem Romanenses ipsi inde expiscari consueuerunt.

BER. Idem diuinus qui vos admonuit spiritus, me quoque certum scire facit, vos Iesu Christi Apostolos esse: Deoq; adeò gratias ago, qui mihi hanc efficiat gratiam, vt vel insciens hodie vos & conueniam, & alloquar: Verum quid in causa est obsecro vt vereremini, ne aliquid incommodi Romæ vobis accideret, cum sũma vos veneratione vulgo hîc homines prosequantur, & adorent: ob eam scilicet, quam Romana Curia vobis apud promiscuam plebem conciliauit existimationem & gratiam.

PA. Ne mihi quæso posthac mi Frater de adoratione verbum feceris, quum inter verè Christianos iam satis constet, hanc non nisi Deo exhibendam esse. Et qui aut nos, aut alios Diuos hoc adorationis titulo cohonestare se arbitrantur, vsq; adeò sanè & falluntur, & errant

rant, vt quum Deum ipſum, tum Diuos pariter ſummo dedecore afficiant: nimirum aſcribentes Diuis, quod ſolius Dei tantum eſt, & adimentes Deo, quod ipſius eſt proprium: Quin hæc ipſa Romanenſis Curia, quę nunc aſsimulat ità vehementer cupere, vt nos hîc inprimis adoremur, lucri ſolūmodo, quod inde nāciſcitur cauſa, ſecretò votis omnibus exoptat, vtriuſq; noſtrum dignitatem, autoritatem & doctrinam, vt ſuis ipſorum vitioſis ac malignis affectibus contrariam penitus expunctā eſſe. Vt iam etiam nobis timendum hoc ſit, ne ſemel cū ijs, quæ Petri ac Pauli oſſa hîc in ſepulchris aſſeruari finxerunt, id agant Papiſtæ, quod cum Vuiglefi Britanni quondam oſsibus eos egiſſe nobis fuit aliâs indicatum. Quæ ſanè omnia effecerunt, vt non niſi ſub huiuſmodi perſonis accedendū huc nobis eſſe duxerimus.

BER. Niſi turpis quæſtus, inſatiabilis vorago Nebulonibus iſtis remoræ nonnihil inijceret, fortaſſe id & lubentes eſſent facturi: præſertim ſi ſibi ipſis perſuaderēt, hac ratione veſtram ſe doctrinam ſuæ ipſorum nequiſſimæ vitæ ex diametro aduerſam è medio poſſe tollere. Nullum enim tam eſt abominandum ſcelus, aut horrendum facinus, quod non ſint ex animo patraturi, modo ad papiſticam Monarchiam conſeruandam id faciat. Verum quidnam quæſo illud eſt (ſi tamen licet expoſcere) quod adeò vobis viſum eſt incredibile, vt accedendum huc fuerit ad ipſius explorandā, inueſtigandamq; plerophorian? Si id quod vobis indicatum eſt, nefarium aliquot atq; impium continet crimen, nihil eſt, quod dubitetis, ita rem ſe habere, vt ad veſtras aureis peruenit: quando vitiorum omnium impudentiſsimam officinam, vel, vt verius dicam, putidiſsimam ſentinam

esse Romam Sodoma Gomorraq́ nō minus fœtentem certo certius est.

PA. Nihil hîc te cęlabo mi Frater. Negotium nostrū sic se habet. Superioribus diebus, atq́ adeò non ità pridem, Pasquillus quidam Romanus ciuis in supernam Paradisum introductus Petro huic nostro significauit, eum, qui Romæ Papam agat, sibi, quum terreni, tum cœlestis imperij tyrannidem arrogare: hoc videlicet nomine, quod Iesu Christi Vicarius, ac Petri successor sit. Quum igitur Petrus noster neq́ rationi, neq́ veritati consentaneum existimaret, aliquem tam sacrilegum inueniri, vt earum rerum Petri nomine sibi tyrannidem potius quàm ius vēdicare auderet, quas tantum abest, vt ipse Petrus vnquam possederit, vt ne quidem se has vnquam posſidere somniauerit: in animum induxit, velle suis oculis videre verúmne id esset, an secus. Et quia nunquam antea vrbem Romam inuiserat, itineris me, vt qui etiam Romanus fuerim Ciuis, comitem sibi esse voluit. Huc itaq́ pariter profecti rem conspeximus etiam multò deterius habere, quàm nobis â Pasquillo (pudet pigetq́ dicere) fuerat prius relatum.

BER. Pasquillus mi Paule, ne sis nescius, orbis vniuersi consiliarius est, & quicquid vbiq́ locorum fit, optimè nouit: præterea Vir adeò probus & innocens, vt non nisi meras veritates loquatur. Cæterum quod abs te modo dictum est, Petrum antea nunquā Romæ fuisse, id verò est, quod maxima cum admiratione audiui. Nam quo pacto Pontifices Romani succederent Petro, si Petrus ipse non modo nunquam Romę Pontificem egisset: sed ne Romam quidē vnquā ingressus esset? Quid tu ais Petre? Pauline dictū hoc etiam cōprobas?

Petrus

PE. Comprobo sanè mi frater: nunquam enim ad hanc Vrbem nisi nunc accessi. Quin ne nunc quidem accessissem, si isthanc ipsam nihil aliud quam scelerum omnium fœdissimam Lernam esse, vti re vera est, scissem antea. Nanque, vt video, quicquid hîc libet, impunè licet. Hîc Iesus Christus cum omnibus ad ipsum spectantibus rebus quottidie millies multifariã diuenditur & coëmitur; atque ex innumerabilibus, quæ inde corradũtur pecunijs, Lenones, Meretrices, Catamyti, Spurij, Moriones, Parasiti, Aucupes, Venatores, Satellites, Muliones, Coqui, Falcones, Accipitres, Equi, Muli, Canes, aliaque infinita eius generis aluntur monstra. Hic denique quum nullum agnoscant, vt agnoscendus est, homines Deum, nequissimum quendam semideum Papę nomine conuestitum sibi ex seipsis conficiunt, atque hunc Iesu Christi Vicarium, Petrique Successorem esse prædicant, ac veluti numen adorant.

BER. Semideum quendam inter homines haberi se velle Papam noster etiam Pasquillus obseruauit. Nec obseruauit modo, sed eleganti quoque tetrasticho semel expressit, non semideum, sed Semidæmonem esse Papam enuncians: Id autem, si libet audire, tale est:

Esse diu mentitus erat se Papa per orbem
Semideumque Virum, semiuirumque Deum:
At vere hunc, retegente Deo, nunc esse videmus
Semisatanque Virum, semiuirumque Satan.

Quod autem Petre dixisti, licere Romæ, quicquid libeat: id hanc habet exceptionem, vt non libeat esse Virum bonum. Nam hoc Romæ neutiquam licere, vel ex Monachatensis poetæ cuiusdã testimonio liquet: Qui ait,

Baptista Carmelita.

Viuere qui sanctè cupitis discedite Roma:
Omnia quum liceant, non licet esse bonum.

PE. Acutè, arguteq; omnia. Verum quod ad Pasquilli carmen attinet, immortales quidē gratiæ sunt habendæ Deo: qui tanti momenti mysterium suis iam reuelauerit. Porro quid opus est aut Christo Vicarium, aut Petro Successorē assignare? Non indiget Vicario Christus Iesus, quū ipse per se vsq; ad finem seculi suæ perpetuò sit affuturus Ecclesiæ. Quum verò & me & alios Apostolos ad annunciandum Euangelium, & ad sacra signa conferenda per orbem misit: nec mihi Romam peculiariter assignauit, vbi aliquis deinde mihi, qui totius orbis esset Monarcha, succederet: nec cæteris Apostolis locum aliquem separatim á reliquis attribuit. Sed voluit vt per terrarū orbem peregrè proficiscētes doceremus omneis genteis exequi quæcunq; ille nobis præcepisset. Ac mox oppidatim Pastores substitueremus, qui ouium suarum gregem suo sibi sanguine partum continuis Verbi Dei concionibus pascerent. Itaq; nihil aliud est Petro succedere, quam & euāgelica prædicatione, & aliorum munerum euangelicorum functione Dei Ecclesiæ inseruire, vt quū Petrus, tū cæteri omnes effecerunt Apostoli. Qui tali non vtitur ministerio siue Romæ, siue alibi sit, Petri successor non est, sed seipsum & alios fallit, vt Romanenses Papæ, papisticiq; nunc Episcopi faciunt. Qui hac ipsa administratione omissa, nihil aliud præstare norunt, quam sacros, quos ipsi nominant, ordines conferre: templa atq; altaria suis Diuis dedicare: Campanas impositis etiam nominibus baptizare: Calices, Vesteis, & Imagines cōsecrare: atq;

alia id genus, res & vanas & impias attrectare: siue hæc omnia suis titularibus Episcopis committentes Principum aut legatos, aut Sacellanos agere: aut eorum vxores tanquam scurras comitari. Sed vt eò redeat, vnde huc defluxit oratio: Paulum hîc nostrum non præterire arbitror, quodquum à Iesu Christi morte intra viginti ferè annorum spacium, se Hierosolymam, vbi tunc ipse agebam, sepius recepisset, instinctu deniq; diuino, dextra societatis data conuenit inter nos, vt ego Circuncisos, ipse verò Alienigenas instituerenius, Quod quidem ipse Paulus egregiè præstitit etiam Romæ. Nam quum diuinitus in hanc Vrbem quoq; missus esset, aliquot annos veri Episcopi officio hîc functus est, annuncians Dei Regnum: & quæ Iesu Christi sunt, summa cũ libertate docens. Me autẽ Romæ nunquam fuisse, neq; quo tempore Paulus aderat, neq; aliâs vnquam, vel idẽ ipse Paulus, qui non solum, quæ per id tẽpus acta sunt, verum etiam quomodo acta sint, optimè nouit, integer mihi testis esse potest. Itàne habet Paule?

PA: Ità sanè vt dixti. Neq; enim ego, si tu hîc egisses, quo tempore meam ad Romanos Epistolam dedi, quadriennio fermè antequam egomet ipse sim subsecutus, tam inurbanus extitissem, vt nullam de te, qui huius Ecclesiæ Pastor esses, mentionem fecissem: aut saltem quum in calce ipsius Epistolæ tot alijs nominatim salutandis fratribus insisterem, te quoq; vt ministrum, non salutassem. Postremò quum Romam deducebar, si tu hîc adfuisses mihi dubiũ non est, quin, quæ tua est humanitas, vsq; ad Appij forum & ad treis tabernas vnà cum reliquis Fratribus mihi prodijsses obuiam, aut me saltẽ aliquoties in meo conductu visitasses, mihiq; pro

tua

tua virili meis in necessitatibus opem tulisses. Nec fuisset opus literis ad meum Timotheum scriptis conqueri, neminem in prima meæ causæ dictione mihi adfuisse. Nam tu sat scio pro ea, quæ in te est, Christiana charitate, me minimè deseruisses. Verum fac Petrum huius Ecclesiæ Ministrũ aliquantisper egisse, quid obsecro inde aliud hæc posset Ecclesia quàm ministerij successionem sibi sumere? quemadmodum aliæ quoq; quibus item alij ministrarunt Apostoli, nihil aliud quã hoc idem assumunt.

PE. Rectè quidem tu Paule. Sed video hîc Papam pudorem omnem exuisse, ac non secus quâm Meretricem planè perfricuisse frontem: neq; verecundari, etiã si mendacij apertè conuincatur, modo male parta bene tueri possit. Ego sanè, quod ad me attinet, nunq; à Iesu Christo ditionis alicuius, Imperijue titulum accepi. Quin quum semel inter nos eius discipulos orta esset contentio, Quis nostrum maximus esse videretur, ipse Christus his fermè verbis corripuit nos, inquiens, Gentium Principes in ipsas dominantur, & magni viri potestatem in eas obtinent: At inter vos non ita erit. Sed qui voluerit in vobis maximus fieri, sit vester famulus: & qui voluerit in vobis esse primus, esto seruus vester: Sicut filius hominis non venit, vt sibi ministretur, sed vt ministret ipse, atq; animam suam in multorum liberationem impendat. Hæc libenter hîc refero non equidem tui causa mi Paule, qui æque atq; ego isthæc omnia bene nosti: Sed solummodo vt frater is noster Paparum imposturas, offucias, mẽdaciaq; facilius agnoscere queat.

BER. Est quod gratias tibi agam mi Petre, licet non

ſim penitus harum rerum ignarus, vtpote qui aliâs & ſacrorum Bibliorum volumina omnia & ſeorſum veſtras amborum Epiſtolas etiam perlegerim.

PA. Dei verbum ſine dubio lumen Electorum eſt, ac tale quidem lumen, vt extra illud omnia denſiſsimis tenebris inuoluantur: inuoluta pernicioſiſsimis erroribus offuſcentur: offuſcata ſempiternis cruciatibus addicantur. Age verò iam etiam alia quapiam de re loquamur. Dic mihi Frater mi quod obſecro tibi nomen eſt? Ecquodnam artificium exerces?

BER. Bertucius nominor: Atq; in Liberi Arbitrij Regis aula ſic tonſorem ago, vt cum illo, & apud illum diu iam fuerim.

PA. Mi Bertuci vt vehementer approbo te tuis ex laboribus aliquam per artem tibi victum parare: ita vehementer improbo eam te artem in tam perfidi ſuperbiq; Tyranni aula exercere, vnde tibi nullum ex ipſis laboribus tuis certum ſit præmium expectandum: propterea quod bona omnia, quæ ſub ſua ditione is cõtinet, non vera, ſed ficta ſint bona. Vt quum tibi perſuaſeris tè lucri aliquid inde conquiſiſſe, minus quam nihilum ſis habiturus in manu. Equidem ſic exiſtimo, huius Tyranni me non minus opera, quam conſilia tã habere perſpecta, quàm qui maximè. Suos Is Aulicos fieri Chamæleontes iubet, vt videlicet paſcantur aura: frequenterq; variantes colorẽ ad Heri ſeſe arbitrium & nutum totos fingant, & accomodent. Vt aliorum quoque Aulicorum, qui auribus modo ſeruiunt, miſerrima conditio fermè nunc habet.

BER. Rem acu tetigiſti Paule. Quamobrem licet ex quo tempore aliquantulum mihi Chriſtus illuxit,

ſemper optarim ex eius aula diſcedere, vt qui maniſe-
ſtò compererim, non poſſe, qui huic inſeruiat, eſſe re
vera chriſtianum: Attamen quum partim ex te modo,
partim verò etiam paulo ante quarundam è ſcripturarũ
recitatione perceperim, & loca, & bona, & genteis,
quæ ipſius ditioni atq; imperio ſubijciuntur, nefarijs om
nino qualitatibus infectas eſſe, decreui talem mihi eſſe
Regem, qui præ ſe neminem putat, penitus deſerendũ.

PA. Arbitror initio tibi, tum ſuperbum hoc Liberi
Arbitrij nomen, quod tamen vox eſt, & præterea ni-
hil, tum regiæ dignitatis eximium decus, ac fulgentem
ſplendorem adeò mentis oculos, vt ita dicam, perſtrin-
xiſſe, vt facilè tibi perſuaſeris Regem hunc egregijs ſu-
is titulis, egregijs item facinoribus reſpondere. Sed id
etiam conſiderandum erat, non quicquid fulgeat, ac
ſplendeat aurum eſſe. Vis ne tibi indicem mi Bertuci
quo pacto Is nunc Regem agat? Eo nimirum quo Thea
tralibus in Tragœdijs etiam Mimi agere conſueue-
runt. Nam frequenter humiles paupereſq; homuncio-
nes, potentiſsimi Regis perſonam induunt, ac ſummo ſe
imperio, maximiſq; viribus pollere iactitant: quum ta-
men hæc omnia ficta & commentitia, vanaq; exiſtant.
Itaq; tibi proponito Bertuci, totum hunc orbem velut
ampliſsimum amphiteatrum eſſe: vbi Satanas Regni
cuiuſdam, quod bonorum operum ipſe nuncupat, ne-
ſcio quam fabulam agat: Quicq; Liberum Arbitrium
Regem in ea referat non veram, ſed ſimulatã eſſe per-
ſonã ſcito. Ac deniq; quicquid inibi geratur, vt perſona
tum, ità fictitium eſſe nihil dubites. Et quamuis itidem
Ieremias Propheta Regis huius vmbratilem perſonam
Ier. Cap. 10. oſtenſurus dicat ipſi Deo: Scio ô Domine non eſſe cu-

iuſq;

iusc vt eat, & gressus suos disponat: Ac Iesus Christus nihil ab vllo sine se fieri posse asseueret: atq insuper ego quoq ipsius Christi ore meis Philippensibus indicauerim: Deum esse, qui pro sua beneuolentia in nobis efficiat, vt & velimus & efficiamus: Ac meis Corinthijs eundem significauerim esse Deum, qui omnia in omnibus efficiat. Meis item Romanis exposuerim carnis affectionem inimicitias esse aduersus Deum, propterea quod ipsius Dei legi neq pareat, neq parere posit: nihilo secius tamen laruatus iste Rex, arroganti quodã fastu, contumaciq superbia turgidus, præfractè audet asserere, se re vera eum esse Regem, cuius faciem secum afferat. Atq id quidem non tantum è sacris literis, verum etiam aliunde comprobare contendit. Joan. 15. 2. 1. Cor. 12. Rom. 8.

BER. Et quidnam obsecro diuinis è scriptis pro se proferre Is potest?

PA. Dicam tibi Bertuci. Vt Regis huius facta omnia, ità prorsus & dicta veritate carent. Quo circa tametsi, aliquid aliquando Sanctarum è scripturarum oraculis pro se proferat, adeò tamen id á genuino veroq sensu remotum adducit, vt veritate vacare, falsumq esse facillimè conuincatur. Memini me semel & sacrorum Bibliorum loca, & alia quædam, quæ peruicax is Tyrannus ad se tutandum excogitauit, quodã cum Episcopo Verbi Dei syncero Administro conferre: Qui quum vanissimi hominis arrogantem insolentiam aliquandiu fuisset admiratus, deniq cœpit ad singula velle, quasi præsens cum præsente ageret, respondere. Quum igitur ego dicerem: Ità Rex ait ex Ecclesiastico: Creauit ab initio me Dominus, consilijq mei arbitrio me permisit: Quumq mihi bonum & malum: vitam & mortem Eccle: 15.

proposuisset, horum vtrumuis eligendi liberam mihi facultatem fecit. Respondeo, inquiebat Episcopus, primum quidem Ecclesiastici librũ inter sacra volumina, non connumerari: deinde verò quod quum ab initio te Deus in lucem eduxisset, ab initio tu itidem tetrum facinus admisisti: per quod in miseram seruitutem redactus, non nisi per Iesum Christum liberari potes. Neq; est quod arbitreris, vel minimam tui particulam esse liberam, quandoquidem quicquid id esset in te, Christo liberatore non indigeret: quod vtiq; falsissimum est. Ad hæc dicebat Rex, Ipse mihi Deus non vno suarũ scripturarum loco seriò imperat, vt ad se conuertar, suis legibus paream, & in recepta ab ipso gratia perseuerem. Nisi id per me præstare possem, frustra sanè mihi præciperẽtur hæc omnia. Respondeo, inquiebat Episcopus, omnia hæc iuxta naturæ tuæ vireis tibi penitus adynata esse, nec propterea tamen incassum præcipi: nec propter tuam hanc, vt ita loquar, impossibilitatem tuæ debitionis obligationem remitti: Quoniam vult ipse Deus, vt hoc pacto tuam impotentiam agnoscens, ad suam ipsius gratiam recurras: quæ quidem efficiat id in te, quod ex se natura tua efficere nequit. Neq; enim Deus legem suam (quod ad ipsam attinet) ea de causa potissimum tulit, vt eius dicto perfectè & absolutè audientes essemus, quum id ipse per nos minime fieri posse, nosset optimè. Sed illam præsertim in hoc edidit, vt in ea tanq; in speculo peccata, damnationemq; nostram intuentes, ad Iesum Christum accederemus, vt qui solus exactè pro nobis ipsam legem præstet: solus nostra omnium delicta inducat: ac solus ab ea, quam inde promeremur, damnatione nos gratuito liberet.

Huc facit exẽplum præcepti Abrahamo dati de imolando filio.

Quod

Quod verò diuinam ab omni parte præstare legem vi-
reis humanas excedat, vel ex Christi verbis apertè pla
nèq; colligitur. Qui, (vt Petrus hîc noster testis est) di- Math. 19.
scipulis quærentibus ob difficultatem exequendorum
Dei præceptorum seruari posse neminem, respondit, a-
pud homines quidem hoc fieri non posse: Verùm apud
Deum omnia posse fieri. Insuper, addebat Rex, frequē-
ter suis in scriptis mihi pollicetur Deus fore, vt si quod
iniquum est fugere, quodq; æquum est, exequi volue-
ro, præmijs honestis afficiendus sim: sin è contrario, de-
bitis supplicijs puniendus. Si nulla horum faciendorum
facultas esset ludificari videretur Deus, ac me per iocū
irridere. Respondeo, aiebat Episcopus, huiusmodi locu-
tionum formulas in Dei lege, si volueris, si feceris, & cæ
tera generis eiusdem, non indicare in manu tua esse,
vt per te velis & facias quicquid collibuit. Quum ex
te nihil has magis, quam ipsius præcepta legis exequi
valeas. Verum percupidus Deus vt, qui sibi fiderent,
animati magis ad efflagitandam suam gratiam forent,
non satis habuit, hos præceptorum seueritate admone-
re: sed suarum quoq; promissionum benignitate ac dul
cedine attrahere ad se voluit. Præterea, subiungebat
Rex, mihi sæpius, vt ingrato, vertit vitio sacris in literis
Deus, quod sua ipsius in me officia, effusaq; benefi-
cia recipere noluerim: ac noluerim etiam, quæ mala me
in euidentem ruinam inducebant, effugere. Quo iure
quæso hæc mihi obijciuntur, si neutrum horū efficere
per me possum? Respondeo, inquiebat Episcopus, quū
tua voluntas per se praua nefariæ huius contumaciæ
causa sit, hanc illi prauitatem legitimè dat crimini Deus:
quod vtiq; isthac ipsa fiat, vt nec ipsius dei recipere be

neficentiam, nec tuum ipsius vitare præcipitium posis, ne huius rei culpam in ipsum reijcias Deum.

BER. Reapse nunc iam comperio Herum hunc meum totum orbẽ decipere: ac populorum mores, è Principum moribus pendere.

PA. Non contentus his, quæ hactenus diximus, fucatus hîc Rex, absurda quædam etiam, vt sibi quidem videtur, in medium profert, inquiens. Si necessario peccarem: peccatum ipsum iam non esset peccatum, nec mihi cæteroquin imputandum. Sin voluntaria est peccandi actio, possum igitur & ipsum peccatum omittere. His respondebat Episcopus: quod ad priorem propositionem attinet, peccatum non propterea non esse peccatum, atque adeo etiam imputandum, quod ex necessitate fiat, quum aliud necessitas, aliud coactio sit. Necessariò bonus est Deus, non tamen alicuius coactu. Contra verô Sathanas necessariò malus est, & nihilominus non propterea illi non imputatur peccatum: Tua volũtas ab Adami casu necessariò peccat, & voluntaria tamẽ vt itâ dicam non coacta id facit, adeò vt ex se ipsa suã sibi damnationem, salutem autem è solo Deo nanciscatur. Quod vero ad secundam propositionem pertinet, eam deductionem paralogismo constare, atque ob id nullius efficacitatis esse dixerim: quum à voluntario ad liberum perperam fiat: Iam enim demonstratum est, res aliquas voluntate fieri, quæ tamen ex se ipsis necessariæ sint. Subijciebat etiam Rex. Si virtutes vitiaque ex electione libera non proficiscuntur, iniquum videtur, aut mihi pręmium reddi, aut supplicio me affici. Quod spectat ad virtutes, aiebat Episcopus neque absonum, neque inconueniens videri debet, eas tui causa nullum habere prę-

mium

mium, vt quæ nequaquam tuæ, sed solius dei sint: qui quidem ipsis tanquam suis donis quicquid placuerit premij gratuitò largiri solet. Quod autem ad vitiorũ supplicia: infliguntur ea sanè tibi quàm iustissimè, propterea quod ipsorum ex te vitiorum culpa proueniat. Sub hæc adijciebat Rex. Nisi voluntatis arbitrio relinquatur vel bonũ, vel malum eligere, asserendũ erit, nos omneis esse aut vna & eadẽ natura bonos, aut vna & eadẽ natura malos: atq; insuper addendum, Adhortaciones, Admonitiones, & Correctiones frustra fieri: quũ in nullius facultate sit, his ipsis obtemperare. Assentior, inquiebat Episcopus, omneis nos prauos esse natura. Verum diuina misericordia fit, vt non omnes in eadem prauitate perseueremus, omnes inquam eodem morbo laboramus, ex quo non conualescunt, nisi quibus sanitatem largitur Deus, reliqui omnes intereunt. Quod verò ad Adhortaciones, Admonitiones, Correctionesq; attinet: Si quod hîc tu ais, verum foret, etiã Iesus Christus reprehendendus esset: quippe qui te asserit nihil posse sine seipso facere, & adhortatur tamen te vt bene facias, tibiq; ni id feceris, minitatur, Idẽ quoq; de ipsius Apostolis dicendum. Quo circa notatione dignum est, bifariam Deum suis in electis consueuisse sua opera exequi: videlicet interno afflatu sui spiritus, et externa sui verbi prædicatione. Suo spiritu mortaliũ menteis illuminans, pectoraq; ad charitatem, et iustitiæ cultum accendens, nouas ipsos homines creaturas facit. Suo autẽ verbo eosdem excitat, vt hanc ipsam innouationem & cupiant, & quærant, & consequantur, efficaci suæ manus adhibita vi, ad ambas operationes iuxta æterni sui propositi seriem, atq; ordinem perficiendas. Postremò subdebat

debat Rex: Ad ostium moratur deus, & pulsat, suã mihi gratiam daturus, si illud aperire, atq; hanc recipere voluero. Non tu per te ipse aperis, inquiebat Episcopus: Verum qui pulsat, idem etiam reserat ostium Deus: quãdo solus is habet Dauidis clauem, qua solus itidẽ & claudere, & recludere quicquid vult, valet. Quod verò gratiam tibi suam Is largiatur, si tu hanc ipsam recipere volueris: itá tibi persuadeas velim: Deum quidẽ ipsum gratiam exhibiturum si tu eam ex animo quæsieris & efflagitaueris. Atenim hoc ipsum vt quæras & efflagites, non ex te, sed ex eodem ipso est Deo. Nam tu sanè per te nihil aliud velle potes, quam nec inquirere vnquam, nec efflagitare hanc gratiam. Cõsueuit adũbratus hic rex, & alia quædam in publicum ad se tuendum proferre, Verum quoniam vt nullius momenti res nullo item negocio refelli possunt, his enarrãdis hic supersedebo: loquendiq; hac de re iam mihi finẽ faciã.

BER. Satis omnino dictum est nunc Paule. Nemo me in Tyranni huius aula iam amplius videbit. Forsitan in futurum Bonæ Intentionis ducis excellentissimæ, quæ in vniuerso Bonorum operum Regno vicariam potestatem exercet, Aulicus fiam:

PA: Si me secutus Autorem fueris Bertuci, Pharaonum istorum omnium aulas tandem aliquando relinques: ac solum Iesum Christum sequeris, qui solus etiã tuis omnibus necessitatibus semper aderit præsẽs. Hæc bona Intentio, quam tu Ducem appellas, ac velut auem albam esse credis, haud aliter quam suus Rex & inanis & contumax, & importuna est mulier, nec minus ad se mala trahit quam Cæcias nubeis. Præcepit Olim illi Deus, vt in ijs quæ suum ipsius cultum spectant, rebus, non

quod

quod sibi rectum videretur, Sed quod solum diuinæ literę dictent, efficiat: non addat suis præceptis quicquam aut imminuat, non ad sinistram, neq; ad dexteram deflectat, sed ad sui modo verbi præscriptum, proprio sensu renunciato, sibi inseruiat, & vana tamen hæc Mulier.

Nititur in vetitum semper, cupit atq; negata.

Quæ Deus præcipit, minimè præstat, & nihilominus in hac Regni, non Bonorum, sed Malorum operum administratione præsefert se Deum velle ad suum arbitrium ac libidinem excolere. Si in veteri testamento peccati damnabat illos Deus, qui sacris à se quidem ordinatis, at non quo iusserat ipse modo sibi oblatis honore sese eum afficere arbitrabantur, quanto grauioris quæso criminis hanc peraget ream: quæ neq; ab se instituta sacrificia: neq; quo pacto Is instituit, sed ineptis tantum ac sæpe impijs quoq; quibusdam suis opinionibus excogitata, sibi offert? Nec sanè minus inofficiosa non obsequentis huius fœminæ peruicacia, contumatiaq; displicet Deo, q; Saulis aliâs factum displicuerit, quum suo ipsius dicto minime audiens in Amalechitas fuit. 1 Reg. 15.
Quod quidem factum Idololatriæ nomine à Samuele propheta non iniuria notatum est. Non satis est habere studium Dei, nisi non inscitè id fiat. Quondam ego quoq; traditorum à Maioribus meis institutorũ studiosissimus hac instigante Iesu Christi membra presequebar, ac mihi sic videbar cultũ præstare Deo: Sed misericordiam deniq; sum cõsequutus, quod isthuc ipsum insciens fecerim: Quod sanè quamplurimis item alijs vsu venire non dubito.

BER. Quum sui cognitionem vestris huiusmodi ser-

monibus augeat in me Deus, quæ de hoc ipso Tyranno adhuc dicenda supersunt, libentissimè auscultabo, quum primum ab Aracœlensi Cœnobio reuersus fuero. Illuc enim Bulla hæc mihi nunc afferenda est. Actutum tamen hîc adero.

PA. Quũ redieris, curabimus tibi factum satis. Atq; audin? Caue quæso posthac tibi cum Bullis commercium sit: Nam vt impietatis plenissimæ, ità pietatis inanissimæ sunt Bullæ: atq; ob id etiam adeò leues, vt necesse habuerit Papa illis plumbum appendere, ne suam ob leuitatem ex ementium manibus euolarent. Nos interea dum reuerteris, hanc immanem, insanam, ingentem Fabricàm, vel potius vt nunc est, Fabricæ ruinam, quam tibi Petre dicatam esse aiunt, inuisemus.

ACTVS QVARTI, SCENA SECVNDA.

BERTVCIVS, DIACONATVS, FELINVS.

Est quod immortaleis gratias agam Deo, qui mihi demum ostenderit & Papæ aulam, & quicquid aularum inde prouenit, aliud nihil esse, q̃ Satanica prostibula, vbi per speciem diuini cultus, & Christianæ pietatis, impijs quum opinionibus tum factis Iesus Christus absq; vlla intermissione proteritur, ac negatur. Alioqui fieri poterat, vt ex illis plusq̃ Cimerijs tenebris nunquã emersissem. ô Plantas ab Agricola cœlesti nequaq̃ consitas, quando erit vt vos videam stirpitus eradicatas?

Atenim

Atenim quosnã ego conspicor è Palatinis ædibus prodire? Diaconatus profectò est cum Felino: Conueniam hos antequam vlterius procedam.

DIA. Dum Reuerendissimos Cardinaleis admonitum imus Feline, Vt cras ad Herum nostrum se conferant. Sacellanus eidem persuasit, operæprecium illum facturum, Si etiam Monachatensium Sectarum Generaleis, quos vocant, ad se vocet, illisq; significet si habeant in optatis purpureum Galerum induere diligentissimè curent, vt subiecti sibijpsis populi non modo non faciant cum Lutheranis, at illos potius audacter impugnent, ac Romanam sedem quauis tandem ratione tueantur: Quod si quem è suis minus optemperãtem inuenerint, eum protinus in carcerem, aut in ergastulũ conijciant, aut ad Triremeis. Id quum valdè arriserit Hero iussit hos quoq; admoneamus, vt & ipsi die sibi crastino præsentes adsint. Hoc si antea sciuissemus, vna cum Reuerendissimis Cardinalibus admoneri poterant: Sedenim hoc secundum iter incœptam prius deambulationem nostram perficiet, ac sic opsonabimus ambulando famẽ. Hoc Sacellani consilium mea quidem sententia nõ prorsus imprudens est: atqui ipsius inconstantia reprehensione non caret, qui eadem modo ait, modo negat quàm leuissimè.

Morosteros. Deliciosos.

FE. An nescis Diaconate Sacellano huic ex Asse paterno nõ nisi mobilia quæ vocãt, bona, iure hereditario obuenisse. An non vides hunc esse stultũ visu, verbo, & opere, quod in Missa dicunt Sacrificuli? Non vides hũc ob crassam literarum omnium ignorantiam bonis etiam auribus male audire? Licet hac in parte aliquid habeat, quod inscitiæ suæ meritò queat prætendere: Nam

quum ex Paulo Apoſtolo literā occidere percepiſſet, nihil vnquam literarum, ne aliquando occideretur, diſcere voluit. Verum quoniam ita libitum eſt Hero, & nobis ire iam libeat. Sed eſt ne is Bertucius, qui concitato gradu nos hinc ſequitur? Ipſus eſt. Quo ſic properas Bertuci?

BER. Vos aſſequi contendebam. At vero tu Diaconate qui, vt video, quieſcis nunꝗ, quo noſtro cum Felino nunc accedis?

DIA. Munus hoc meum eſt, nunꝗ ceſſare ab officio. Imus accerſitum Sectarum Monachatenſium Generaleis, vt ad Herum noſtrum ſe recipiant. Atqꝫ hîc adeò cum Felino conquerebar quod non hos etiam cum Reuerendiſsimis Cardinalibus, paulo ante per nos inuitatis aduocauerimus.

Obſeruādum eſt: quod paulo ante fuit etiam admonitum: hæc videlicet fuiſſe conſcripta Paulo tertio Papam agente. qui etiā Theatinū Cardinalē creauit.

BER. Quinam quæſo Cardinaleis? Et qua de cauſa inuitati?

DIA. Sex accerſere iuſsi ſumus qui Lutheranæ Hæreſi extirpandæ præficiantur: quod quidem illos eſſe ſtudioſiſsimè facturos non veremur: præſertim verò Reuerendiſsimum Theatinum, qui primus inter hos ipſos eſt. Nam quum & ſanctiſsimus vir, & Lutheranis infenſiſsimus omnino ſit, nihil intentatum relinquet, vt eos penitus ad nihilum redigat.

BER. Hoc ſic habiturum, ſi huiuſmodi autoritatem adipiſcatur Theatinus, nemo eſt, qui ambigat. Nanqꝫ vt Heroſtratus Epheſiæ Dianæ templum quò ſibi nomen acquireret, olim incendit, ita nunc ipſe Theatinus Chriſtianos vera Dei Templa comburere, vt è tali carnificina gloriam ſibi paret, non verebitur. Atenim ſi hac in cauſa, quam Lutheranam appellant, & ſummus

Pontifex Romanus, & Liberum Arbitrium Rex Gamalielis in actis Apostolicis insertam sequerentur sententiam, grauissimis anxietatibus, ac molestijs, vt ego quidē arbitror, tū seipsos, tū alios liberarent. Sed vt Theatinum reuertar, quod separatim de ipso intulisti Virum videlicet hunc esse sanctissimum, id vero pernego: Magisq; affirmo Theatini sanctimoniam esse talem, vt si recte noscatur exclamandum sit à Theatina sanctitate libera nos domine. Theatinus Heroinam Hyppocrisim Matrem habet, à qua per simulatam quandam sanctitudinem miserrimum omnis ambitionis mancipium est factus.

DIA. Vnde compertum habes id Bertuci?

BER. Sexcentis indicijs exerit sese, Inprimis tamen euincitur quibusdam quæ Is olim Venetijs effutiuit, honorum cupidissimis verbis.

DIA. Quænam ea fuere obsecro?

BER. Dicam tibi. Venetijs quondam bonus Is Theatinus, vnà cum Humani Discursus filio, quem fidum sibi Consiliariū asciuerat, diu hæsit: Quūq; cū hoc ipso per id tempus de consequendi Cardinalatus ratione consilium frequenter iniret, vsq; adeô semel huius dignitatis adipiscendæ studio exarsit, vel, vt verius dicam, furore correptus est, vt clamosa voce de improuiso in hos versus proruperit.

Vllus haud vnquam miser vndecunq;
Seruus optauit magis esse liber:
Vlla nec sese vaga nauis alto
Condere portu:

Vrbe quam mitti mihi iam rubentem
Omnibus votis cupiam Galerum:
Ordinisq; inter sacra purpurati
Septa locari.

Quid si per sacra septa caulas execrabileis intelligas: quibus hæ papisticæ pecudes includuntur?

Agathonia Canio.

Apophtegma.

Huius Theatini fortis imaginatio fecit casum (vt loquūtur) Nā re vera demum Papa creatus est: reliquisq; Antichristis adiūctus in Christi mēbris cruciandis patrum suorū mensuram cumulatissime impleuit.

Tum verò Consiliarius acerbā Heri molestiam humanioribus verbis demitigare conatus, mi Domine, inquit, obsecro te, tandem aliquando grauem in quo iaces, mærorem minue, bonoq; animo sis. Etenim ruber is pileus, quem tantopere desideras, totq; artibus exquiris, mittetur ad te semel, quum de ipso minimè cogitabis. ô me miserū atq; infelicem exclamauit illico Theatinus, si quæ nūc tu ais, vera sint: Nam si mihi tum demum mittendus est pileus, quum de ipso minimè cogitauero, nūquam me hercule mihi mittetur: quum ego nihil vnquam aliud, quam de illo ipso cogitem. Iam potes, nisi hallucineris, animaduertere, qualis Theatini sit sanctitas: & quamobrem etiam ab ipso simuletur. Quin equidem mihi persuadeo non minus hunc ipsum papalis esse nunc diadematis, quam tunc fuerit pilei Cardinalicij cupientissimum.

DIA. Non est iniquum, mihi crede, Bertuci Cardinalatum seu Papatum per dominam Hypochrisim, aut etiam per magicas arteis illis parari, qui aut fauore: aut pecunia, aut aliqua id genus alia ratione dignitates eiusmodi nequeant adipisci. Etenim si is, qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, Paulo teste, nonne vt qui Cardinalatum, melius, & qui Papatum, optimum opus desideret, consequens erit?

BER. O lepidā consecutionem. Equidem arbitror ab ijs romanensibus aulicis acceptam, qui isthunc ipsum Apostoli Pauli locum, & quod ad rectam verborū distinctionē

ſtinctionem, & quod ad vnius voculæ deprauationem corruptum aſſerentes, ità inſtaurandum eſſe contendũt, vt hoc modo habeat ipſa lectio. Qui Epiſcopatũ deſiderat bonum, opes deſiderat. Et ſanè quidẽ quò lectionis huiuſmodi ſeries à vero ſenſu remotior eſt, hoc ad noſtri temporis vſum eſt accommodatior. Nam & Epiſcopatuum & Cardinalatuum, & Papatuum gradus hodie nullam ob aliam bonitatem, quam ob diuitias, voluptates, delicias, faſtus, pompas, ditiones, & Monarchias auidiſſimè expeti, certiſſimum eſt. An non his nanciſcendis cupidiſſimè inhiant, qui etiam per magicas arteis (Siquidem id verum eſt, quod tu paulo ante dicebas) illuc peruenire contendunt?

DIA. Vt ne dubites Bertuci verum id eſſe quod dixi, duos præcipuê tibi profero, quos eadem hac via graſſatos ad Papatum fuiſſe liquidò conſtat: nempe Gilbertum Gallum monachum, qui poſtea Syluester ſecundus nuncupatus eſt: ac Theodericum Borgiam, qui deinde Alexander Sextus eſt dictus.

BER. De Siluestro, vtpote qui verſatus inter Monachos fuerit, haud difficulter acceſſerim: Eius enim generis hominibus familiaris vſus, ac peruetus cum Satana conſuetudo eſt: facileq; ab ipſo impetrare, quicquid libuerit, valent. At de Alexandro, qui cucullum nõ induit, magis mirum videri poſſit. Quapropter quonam pacto Is hoc tentauerit, atq; adeò tandem etiam aſſecutus ſit, non equidem inuitus audiuerim.

DIA: Ego quoq; viciſſim non grauarer id referre, niſi mihi nunc omnino hinc abeundum eſſet. Verum vt exiſtimo, totum hoc negocium per ſeriẽ paſsim prouulgatum breui per te ipſe & audire, & legere poteris

Etenim Petrus Paulus Vergerius quondam Episcopus Iustinopolitanus integram, vt audio, hanc Tragędiam editurus est.

BER. Ille ne Vergerius olim Papæ, nunc verò Iesu Christi Episcopus & Legatus? Virum esse aiunt quam eruditissimum, atq; á vera pietate laudandum, qui non solum quod abs te modo de Borgia dictum est, mandare literis, verum etiam papisticas alias omneis imposturas ac fraudes, vt qui optimè has ipsas calleat, scriptis haud intermissis orbi retegere & velit, & valeat. Ab illo igitur hoc expectabimus. At vero tu nunc cedò, petiturusne etiam es Aracælense Cœnobium?

DIA. Vtiq; petiturus. Nã oportebit nos inde quoq; Lignipedum Generalem euocare.

BER. Velim, ni tibi graue sit, hoc diploma inibi Monacho cuidam Pucio dicto des meo nomine.

DIA. Hoc nihil est. Lubentes inseruiemus tibi.

BER. Ego interim in proximam diui Petri AEdem reuertar, vt quosdam bonos amicos meum aduentum illic præstolanteis conueniam.

ACTVS QVARTI SCENA TERTIA.

PETRVS APOSTOLVS: PAVLVS APOSTOLVS, BERTVCIVS.

NOn possum Paule stupiditatem, atq; adeò impietatem eorum, qui huiusmodi templa constituũt

diuisq;

diuisq; sacrant, non vehementer mirari. Nam si ipse Deus ædificari sibi ipsi taleis fabricas nõ permittit, quippe qui manufactas domos, quemadmodum tute scis optimè, minimè incolat, quanto minus id suis diuis fieri sustinebit? Act. 7. 17.

PA. Sanè itá est Petre vt tu ais. Verum enimuero quum in fatis esset, vt scelerum atq; impietatum omnium parens Roma foret, mirum non est, hunc etiã statuendorum templorum sacrilegum errorem hinc originem traxisse. Tametsi quod ad hãc AEdem pertinet, quam tibi dicatam Papa hîc magnificentissima structura erigere velle se simulat, nõ id quæritur, vt ædificium aliquod, quemadmodum iacta fundamenta præseferũt, extruatur: Sed solummodo per ædificij tibi construendi simulationem, re autem vera per sceleratissimum latrocinium ingens vndecunq; pecuniarum numerus corradatur. Etenim mihi persuadeo, tantam auri, argentiq; vim à Pontificibus Romanis hac ipsa occasione iam fuisse collectam, vt si totum id in vnum congregetur, aureum & argenteum templum, sub cuius tegulis etiam innumeræ cubent noctuæ, tibi facilè exædificari queat. Atqui ecce tibi Bertucius noster adest.

BER. Adsum inquam: etenim dissolui me otius quam putaram. Nam per alium quændam amicum Aracælensis bullæ nogocium expediui. Nunc itaq; uos oro per Iesum Christum, vt quæ de Liberi Arbitrij rebus exponenda supererant, quæq; vos recepistis expositiuros, mihi iam exponatis. Nanq; quum à Christo meæ salutis Autore discessero, nullus est, quem libentius quam vos audire cupiam.

PA. Ita faciemus Bertuci. Vin tu Petre hanc Prouin-

ciam suscipere?

PE. Tu potius hoc expedi Paule, qui etiam liberiore lingua id efficere potes.

PA. Expediam igitur: & quidem ꝙ breuissimè potero. Iam te arbitror meminisse Bertuci non ita dudum inter nos dictum esse, quæ Liberum Arbitrium spectant, & ficta & personata esse omnia: Sedenim vt commodius hæc ob oculos posita percipiantur, paulo altius mihi quædam nunc repetenda sunt. Quum Diabolus inter conditarum rerum primordia tentasset velle se æqualem constituere ipsi Deo, seq; tandem huius rei frustra periculum fecisse conspiceret, quandam saltem, quæ Deum imitaretur, induere simiam decreuit: Atq; ita factum est, vt postea semper se non aliter, ꝙ si Deus esset, adorari quæsierit: & quicquid instituentem conspexerit ipsum deum, idem & ipse, non tamen quo deus animo, voluerit instituere. Quamobrem quum Bonorum operum quoddam Regnum à Deo quondam designatum, atq; huic in duas prouincias, alteram Dei Amorem, alteram proximi nuncupatam, distincto, Regem suum filium præfectum, nec non eidem filio sancti Spiritus opera Fidem fuisse desponsam, atq; indè charitatem continuò natam animaduerteret: Ipse quoq; nominis eiusdem alterum Regnum non in duas tantum, sed in plureis Prouincias, ditionis augendæ causa discretum confinxit: vt de illo non prorsus ineptè quidam cecinerit dicens.

Vnum quidem est hoc Dæmonis
Regnum: At lues hoc inficit
Non vna: non vnum malum.

Atq;

Atque in hoc ipso regnare Liberum Arbitrium fecit. Actusq; Eliciti opera Gratiam de congruo Vxorem huic datam, & Gratiam de condigno deinde hinc genitam impudentissimè est mentitus: quo clarissimis rebus per adumbratas huiusmodi personas obductis tenebris, nequissimum, quod in animo habebat, cōmodè magis exequeretur facinus.

BER. Quam diuersæ sunt hæ personæ ab Silenis Alcibiadis: Atq; hîc oro te Paule ne feras molestè, si tuam orationē aliquantulū interrumpo. Contigit hodie me audire quendā huius abs te dicti nunc Regni Prouincias, Vrbeis, Vectigalia, Mores, Leges, & Magistratus recitantem. At ne mentiar ità mihi visa sunt omnia omnibus inquinamentis, atq; in Deum, hominesq; sceleribus refertissima, vt pigeat pudeatq; referre. Quin quum euangelica ratione contra eorum nonnulla veni rem, hæresis agi me reum statim sensi.

PE. Ergo damnatur hæreseos, qui, quod ait, scriptis euangelicis confirmat?

BER. Non tantum damnatur, sed etiam sæuissimè comburitur.

PE. O nequissimos Papicolas, ipsis etiā Turcis multò iniquiores: quandoquidem nullus apud Turcas ob liberam Euangelij professionem damnatur.

PA. Vel hinc Petre videre licet ipsum Papam non Christi, sed Sathanæ Vicarium esse, quod sui principis armis, igne nimirum in innocenteis sæuit. Sed vt ad institutum reuertamur: Id velim obserues Bertuci hæc Bonorum operum Dei ac Diaboli regna inter se vehementer & origine & ingenio, & prouentibus, & fine differre. Nam prima Regni Dei origo sola atq; vnica

ipsius Dei voluntas est, Qui solus item natura bonus quum sit, suæ bonitatis vim in ea tantum opera quæ ipse bona vult esse transfundit, ac suis hæc populis per sua scripta mox retegit, vt in illis asiduè versentur, ac seipsos exerceāt. Quemadmodum enim nullæ operationes prauæ sunt, nisi quæ diuinis literis prohibentur, itá nullæ sunt bonæ, nisi quæ literis eisdem præcipiantur. Ingenium præterea est eiusdem Regni, vt incolas non admittat, nisi probos Viros: quod fructus bonos non proferat, nisi arbos bona. Hoc insuper idem Regnum nullos ex seipso quidem, sed solum è Iesu Christo Rege suo prouentus habet. Etenim ipse Rex bonitatē, Innocentiam, Sanctitatem, Iustitiam, salutem, aliosq; suos omneis reditus Incolis omnibus benignisimè largitur. Huic denicq; Regno finis est propositus nullo ad præmia respectu fidelitatis tantum ostendendæ gratia Deo ac proximo liberrimè inseruire. Iam è cōtrario Sathanici Bonorum, vt falsò nominant, Operum Regni prima origo, Sola quidem ipsius itidem Satanæ voluntas est: At quum is ex seipse iniquus sit, non nisi etiam iniquas operationes producere ex se potest: quod arbor mala non ferat nisi malos fructus, licet hos ipsos quodam fictæ bonitatis colore, vt à cunctis facilius amplectantur, obducat. Huius ad hæc ingenium Regni est, vt Adulteris, Parricidis, ac nequisimis quibusq; hominibus de habitatione accomodet. Præterea quum nihil omnino ex hoc etiam Regno prouentuum hauriatur, tamen nihilominus impudenter audet Sathan asserere ex ementito vectigali, quod Meritum appellant, huic imposito, infinitam penè redituum summam exigi; quod tamen tam verum est, quam quod falsisimum.

Postremò

Postremò huic Sathanico scopus est Regno inseruire sibi ipsi, vt supernam paradisum lucretur, ac suam animam seruet. Qui sanè cultus, quid aliud est, quam Hebreorum more sibi vitulum conflare, suarumqꝫ manuũ operationes adorare, atqꝫ ex ijs ipsis Iesu Christi loco sibi seruatorem conficere? Quod quidem adeò ingratũ atqꝫ impiũ est, vt nisi quadam id simulata bonitatis vmbra Satan obtegeret, & visuri, & reprehensuri essent etiam Ethnici. Arbitror te iam Bertuci animaduertere quam ingens inter hæc Regna sit discrimen. Sed adhuc longè melius hoc perspicies, quum horum Regnorum quarundam separatim Prouinciarum condiciones tibi recensuero. Malus vocandus est: qui sua causa est bonꝰ

BER. Quo plura ex te audio Paule, hoc audire magis auet animus: quod inde multũ me proficere sentiã.

PA. Eo libentius itaqꝫ quod reliquũ est, prosequar. Quum Deus optimus Maximus initio suam imaginem Adamo contributam, ac mox ipsius vitio perditam suis in Electis esset instauraturus, Iesum Christum suam ad viuum expressam imaginem in orbem misit, ac per eum pœnitentiam, peccatorumqꝫ remissionem in Euãgelico Regno prædicari voluit: Quod his duabus potissimũ rebus contineatur spiritus regeneratio, per quam quidem eadem imago Dei paulatim ab ipsis electis in eodem Iesu Christo resumitur: vt deinde per spiritum sanctum, quem ipse largitur Deus, non in se ipsis, sed in Christo, non sibi ipsis, sed Proximo perofficiosè iam viuant. Hoc Satanas admodum ægreferens Papam & ipse suam viuam ac veram imaginem in orbem misit: ac per hunc in Satanico suo Regno Pœnitentiam Prouinciam sumpto diuinis è scriptis ad versutius imponendũ

vocabulo constitui iussit: quo suam inibi suis in membris non instauraret quidẽ, sed firmius cõseruaret imaginem. Porrò autem quemadmodũ in euangelica Pœnitentia vult ipse Christus vt sui syncero cordis timore per carnis mortificationẽ, ac viuificationem spiritus verè ad verum Deum conuertantur: perq; sui ipsius oblatum Patri sacrificium delictorum condonationem acquirãt: Ita in Sathanica Pœnitentia vult ipse Papa, vt sui pœnarum violento timore ad imaginarium quendam suũ Deum conuersi commissa plangant, & plangenda non committant (vt ipsi quidem loquuntur) Ac per fictam autoritatem, quam Iubileo atq; eius coniugi Indulgentiæ nec non cæteris ipsorum Asseclis omnibus, ac suis Administris falsò ipse largitur, peccatorum remissionem sibi ipsis aut parent, aut emant. Potuitne Versipellis Diabolus Euangelij summam, videlicet Pęnitentiã & criminum veniam maiore astu obscurare? & quod in se fuit ad nihilum redigere? Quanquàm suos Deus errare perpetuò non sinit: sed è Sathanæ laqueis extractos tempore destinato demum ad se reuocat.

BER. Mihi quoq; sic vsu nunc venit ô Paule: quãobrem etiam quàm maximas ago gratias Deo, qui me tandẽ ex eiusdem Sathanæ dolosis præstigijs eripuerit.

PA. Hoc idem cum Ieiunio, cum Oratione, & cum Eleemosyna, quæ fructus ipsius Pœnitentiæ pro tempore, ac pro necessitate sunt, efficit Sathan. Horũ nanq; similiter è sacris literis exceptorũ nominum titulis aliâs quasdam sui Regni Prouincias ità exornat, vt pulcherrimæ, ac honestissimæ videantur Matronæ, quum tamen non nisi fucatæ, atq; impudicæ Meretrices omnino sint. Ieiunium verum hac potissimum de causa institutum

est

eſt, vt attenuato per ipſum corpore, liberius ad preces exurgat, & expeditius ad rerum diuinarum meditationem conſcendat animus: ac demiſſionis, humilitatisq́ teſtimonium præſeferat, quoties Deo publicitus fatendæ ſunt culpæ. Præcationes verò diuinitus ordinatæ in hoc fiunt, vt hominum corda propenſiore deſiderio quærẽdi per fidem puram Dei, magis magisq́ quotidie accẽdantur: quo diſcant homines atq́ aſſuefiant in quauis indigentia, vitæq́ neceſſitate ad vnum ſe Deum ſine vlla hæſitatione conferre: diſcant animo gratiore tam diuina q̃ humana precibus ipſis impetrata, recipere beneficia: diſcant deniq́ ſeſe totos, ac ſua omnia diuinæ prouidentiæ, curæq́ committere: quum videant ipſum Deum mortaleis omneis non tantum adhortari, ſed illis etiam præcipere, vt ſe vnum modo, non diuos, per vnũ itidem Ieſum Chriſtũ in omni quocunq́ diſcrimine, & inuocent, & implorent: Eiſq́ pariter polliceri ſe per eũdem modo Chriſtum Ieſum, nõ autem per vllos Diuos illorum preces exauditurum, quò dignas inde ſibi referant gratias, ac ſuum ipſius nomen glorioſè magnificẽt & extollant. Verum id obſeruandum eſt, Ipſum Deũ neminem vnum orantem audire, niſi qui ſolum ſuo in templo nempe Ieſu Chriſto precetur: propterea quod in eo tantum tota diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat: vt nefas omnino ſit aut ab alio q̃ à ſolo Deo, Joan: 2. aut per alium quam per ſolum Chriſtum aliquid petere. Eleemoſyna qua de ſacræ literæ faciunt mentionem, Proximi ſiue is amicus, ſiue ſit inimicus inopiæ cuiuſuis generis, ipſum ſolummodo Deum intuẽdo inſeruit. Et Sathã nihilominus adulterinis harum rerũ nominibus ita orbi per Papã ſuum Vicarium imponit, vt per hũc

imperet, in Dei ac Diuorum cultum, & ad promerendã diuinam gratiam esse ieiunandum: petendum à Diuis, vt suis meritis, ac suo fauore nos iuuent, quò per ipsos velut Internuncios omnia primò deuitemus incommoda, mox verò tam huius, quam æternæ vitæ commoda consequamur: deniq; Pauperibus esse dandum ad inducenda peccatorum nomina, & ad cælestem patriam conquirendam. Quæ sanè omnia cum quamplurimis id genus alijs, eo iniquiora sunt, quod quum suam gloriam ipsi deo, suumq; officium Iesu Christo (quod in se est) eripiant, hoc tamen ipsum per Christianæ pietatis, religionisq; simulationem efficiunt. De reliquis autem vmbratilis huius Regni vanissimis Prouincijs, deq; futilibus earum stipendijs, ac præsertim de Lucroso Purgatorij Portorio nihil est, quod hic loquamur: quoniam quũ hæc omnia omni adeò soliditate careant vt ne nomen quidem è diuinis acceperint literis, facilè ab omnibus pro falsis deberent agnosci. Quanquam is hæc ipsa nititur Sathan pluribus, quam quæuis alia, pigmẽtis, ne cognoscantur, aspergere.

BER. Vlcus ipsum attigisti Paule. Quotus enim quisq; est obsecro, qui non existimet Monachatũ, Diuorum cultum, Missam, institutæ à Christo Cænæ loco per diabolũ inuectam, aliaq; huiusmodi nefaria portenta res esse absolutas, perfectas, cunctisq; suis partibus non expletas modo, sed etiam expletissimas? ô tenebricosas mortalium menteis multò etiam talpis ac leberidibus cæciores.

PA. Illud adhuc vnũ diligenti animaduersione dignissimum est: quod quũ inuidus ac fraudulentus Dæmon hoc suum Regnum in perniciem tantum hominũ

excogita-

excogitauerit, nihilò secius tamen omnibus falsò persuadere conatur, per anfractuosas ipsius Regni semitas ad Iustificationis portum, ad peccatorũ condonationẽ: deniq; ad supernam vsq; Hierosolymam tutissimum patere iter: quod quidem adeò blasphemum, atq; impium est, vt religiosæ id aures ferre nequeant. Enimuero si Deus ipse per sui ipsius Bonorum Operum Regni sacrosanctum iter ad ea, quæ modo diximus loca, non concedit accessum: quantò minus hoc per illud ipsum, quod ipse mentitur Dæmon, fuerit concessurus? Vna tantum illuc adeundi est via, nempe Iesus Christus Dei filius. Quæ sanè via ne omnibus quidem aperta est, sed ijs solummodo, quos ipse Deus ante mundi constitutionem iuxta propositum suum in ipso suo filio iam elegerit. Quare te arbitror mi Bertuci Sathanæ insidias in hoc euanido suo Regno quum instituendo, tum administrando iam probè satis tenere.

BER. Equidem mihi videor, tanquam vngueis digitosq; meos has nunc ipsas callere, atq; ita quidèm, vt etiam si idẽ Sathanas Gigis anulũ suis administris donet, me tamen amplius decepturi non sint. Cæterum nescio quid mihi dubitationis Paule suboritur è proximis tuis verbis, quibus asseris Deum ne per sui quidem Bonorum Operum Regni securam viam, sed per Iesum Christum solum ad iustificationis portum: ad peccatorum veniam: & ad cœlestem paradisum aditum concedere. Nonne ipse Christus Iesus veri Dei verissimum os affirmat, etiam per isthuc ipsum Regnum ad loca hæc iter esse, quum ait, postremò tempore se dicturum beatus sui patris, vt possideant paratum illis Regnum ab orbe condito, propterea quod per illud ipsum Bono- Math 25.

rum Regnum ad hoc alterum contenderint? Nonne insuper & tu Paule ad nos Romanos olim scripsisti, red-
Cap: 2 diturũ esse Deũ vnicuiq; iuxta facta sua? Atq; illos tan-tum, qui legem factis exprimant, haberi iustos apud ipsum Deum? Iam verô an non alteram adhuc viam ad hæc eadem loca sacræ nobis ostendunt literæ? Fidem
Act: 15. nimirum Iesu Christi vnicam sponsam? Quilibet nostrũ nouit optimè, ipsum Christum Iesum non infrequenter in Euangelio dixisse, fidem esse que seruet. Petrus quoque hîc noster inquit. Hominum corda fide purificari. Quin tu etiam Paule tuis in Epistolis millies, vt ita dicam scripsisti, fidem esse quæ iustificet. Quî hæc igitur inter se consentanea esse poterunt?

PA. Id vt quàm optimum tibi, ita mihi quàm gratissimum est Bertuci, vt quæ dubitationem afferre videantur, in medium proferas, ne scrupulus vnquam aliquis in animo resideat. Idem post hac etiam tibi faciundum cẽseo. Verum quod ad hanc tuã nunc attinet aporian, licet per me ipse tibi paucis respondere possem, libet hîc tamen referre benè longum sermonem, quem super eiusdem generis quæstiuncula Dominicus a Domo Alba ciuis Bassanensis quondam cũ Veneto quodam habuit. Etenim spero sic inde tibi satisfactum iri, vt nihil amplius hæsitationis hac de re futurum sit reliquum.

BER. Ita quæso mi Paule, Nam isthæc ipsa nunc ambiguitas eô magis tollenda est, quò quamplurimis nostra tẽpestate maius facessit negocium.

PA. Faciam mi Bertuci, ne dubita. Atq; vt hinc iam narrare incipiam. Quum Is Dominicus de quo in præsentia memini, ob synceram solius Euangelicæ doctrinæ professionem â sæui Papæ sanguinarijs Ministris

Placentiæ non ità pridem excruciatus, ac publicæ necatus esset, atq; in cœlum Christi Martyr iam factus æternum victurus conscendisset, inter alia quæ mecum multa inibi conferre consueuerat, hoc quoq; mihi semel exposuit: sibi quum etiam tunc diuinæ veritatis lumine non satis esset illustratus, à quopiam Veneto, quo cum illi non vulgaris intercedebat necessitudo, hunc nodũ fuisse penitus expeditum. Sedenim expediet fortasse magis, vt eiusdem Veneti verba, quemadmodum mihi ab ipso Dominico relata sunt, referam, commodius nanq; rem omnẽ eo pacto te esse percepturũ existimo.

BER. Vt lubet Paule.

PA. Sic igitur cœpisse illum hac de re disputare aiebat. Non opinione infirma sed ad veritatem planè mihi persuasum est mi Frater Iesum Christum solum eam esse viam per quam vnam in cœlum ingrediendum sit: atq; vt id ità esse certò certius credam, Idem ipse Christus Iesus facit: quippe qui mentiri quum nequeat, de se ipse in hunc testatur modum. Ego sum, inquiens via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ad hoc Petrus Apostolus affirmat, in nullo alio, præterq; in Iesu Christo salutem esse, quod nullum aliud nomen sub cœlo sit hominibus datũ, per quod seruandi simus. Præterea Paulus quoq; (dicebat ille) suos Ephesios alloquens, ait. Nos ante orbem conditum in Iesu Christo fuisse electos á Deo. Corinthijsq; itidem scribit, eũdem Christum Iesum factum esse nobis à Deo sapientiam, iustitiam, sanctitatem, & liberationem. Atqui longum esset (inquiebat noster) omnia diuinarum scripturarũ loca quæ huc faciant, nunc referre, præsertim quũ hæc ipsa volumina in hoc ipsum dictante numine videantur

Joan. 15.
Actuũ: 2.
1. Cor: 1.

conſcripta, vt verbis, ac typis, demum & re ipſa nobis vnum hunc Ieſū Chriſtum exhibeant. Quod ſi aliunde patuiſſet ad ſalutē via, an non obſecro incaſſum Chriſtus fuiſſet mortuus? Iam itaq; vt reſpondeam ijs, qui opinantur duas inſuper ad Cœlum vias, nempe Fidei, ac Bonorū operum Regni ſacris eiſdem literis oſtendi: primum dico, quicquid in ſcripturis diuinis contineatur, totum id eſſe veriſsimū, neq; vllam in his ipſis aut ineſſe, aut ineſſe poſſe repugnantiam, modo eodē, quo ſcriptæ ſūt, ſpiritu intelligātur. Deinde has ipſarū aſſertiones, quæ videātur meæ ſententiæ aduerſari, neutiquā eſſe aduerſas: id quod facillimè cognoſci poterit, quum orationis diuinæ phraſim, atq; his de rebus loquēdi conſuetudinem expoſuero. Ergo vt hinc dicere exordiar, ea conſuetudo ſanè ſic habet. Sacroſancta ſcriptura diuinitus delata nonnunquam propriè, nonnunquam impropriè, ſemper tamē veriſsimè, ac certiſsimè loquitur: Quod quidem vt planius, ac manifeſtius comprahendatur, exemplis aliquot ex ipſa ſcriptura ſumptis commōſtrabimus. Proprius ſermo eſt, quū Deum hæc eſſe ſpiritum affirmat: quandoquidem natura talis eſt ipſe Deus: Improprius autem quum illi corpus ac membra, atq; eorundem membrorum vſum (vt ſæpius facit) attribuit. Proprius item ſermo eſt, quum immutabilem eſſe Deum hæc aſſerit, propterea quod natura talis eſt Deus: Improprius verò, quū illa nobis hunc vt mutabilem proponit: quemadmodum quum ait, eum pœnituiſſe quod hominem feciſſet: Alibi quoq;, quod Saulem cōſtituiſſet Regē. Similiter proprius eſt ſermo, quū vbiq; locorum hæc eſſe Deum aſſeuerat, quoniam id ipſius naturæ conueniens eſt, quo rebus omnibus conſeruandis

Joan: 4.
Rom: 11.
Gen: 6.
1Reg. 15.

dis adsit: quanquam suorum fidelium cordibus quo-dam etiam peculiari modo vt eos nimirum sanctifi-cet, præsens est: Improprius porrò, quum è cœlo ad Ba-bilonicam turrim conspiciendam hæc descendisse De-um facit.

BER. Offert se mihi quidem nūc Paule nescio quid aliud, quod animum meum moueat. Sed non ero mo-lestus interpellator: fortasse quum peroraueris id abs te petam.

PA. Probè sanè: atq; ego quidem si interrogaueris lubens respondebo. Verum iam ad propositum. Eæ lo-cutiones impropriæ (subintulit amicus) atq; eius gene-ris aliæ, quæ frequentes in sacris literis habētur, nequa-quā proprijs cōtrariæ, nec in se alioqui falsæ sunt: Quin potius natiuam veritatē & ipsæ obtinent. Sed benignis-simo parenti Deo visum est ad captus hominum verba facere, vt eius immensæ bonitati hac etiam in parte gra ti essemus: qui dedignatus non sit, quum de se ipso, tū de suis rebus tam demisse, atq; humiliter sermocinari nobiscum, quos videbat, nisi sic effecisset intelligentiæ penitus experteis fore. Idem igitur dicendum est etiam de Via, per quam ad Cœlestem patriam tendimus. Ete-nim quum sacræ literę Iesum Christū esse viam, quæ Mortaleis eò perducat, enunciant, proprio sanè vtuntur sermone: quum verò fidem quoq;, ac Bonorū Operū Regnum vias pariter eodem ferenteis esse dicunt, im-proprium adhibent sine vlla dubitatione sermonem. Fides gratuito munere diuinæ benignitatis obueniens Electorum hominum illuminat corda, & firmā Dei er-ga nos beneuolentiæ notionem largitur, ad spōsum su-um Iesum Christum nos peramanter adducit, vt profu-

ſam in nos dei miſericordiam eodem Internuntio com‑plectamur: ad extremum diuinas pollicitationes planiſ‑ſimè nobis aperit: quò per ſpiritum ſanctū ijs firmiter apprehenſis, nihil addubitemus, ſolum eundem ſuum ſponſum eſſe viam, per quam in cœlum conſcēdamus: ſolum eſſe veritatem, cui ex animo credere debeamus: ſolum deniq; eſſe vitam, in qua fœliciter ęternum viua‑mus. At Bonorum Operum Regnum locus eſt diuina nobis munificentia deſtinatus, quo Fides ipſa, poſteaq̃ ſe duce peruenimus ad Chriſtum, nos ablegat, vt nos metipſos ibi iuuandis proximis, frenandiſq; concupi‑ſcentijs exerceamus: atq; ità publicè teſtemur eandem fidem, quæ in nobis ad gloriam Dei per charitatē agit, efficere itidem, vt perſuaſi omnino ſimus, vnum, ac ſolū Ieſum Chriſtum eſſe omnium, quotquot ſeruātur, ſerua‑torem. Quum ergo neq; fidei, neq; Bonorum Operū Regni, Sed Ieſu Chriſti ſolius officium ſit, & iuſtifica‑re, & peccata remittere, & ſalutem conferre, quoties diuina ſcripta aut Fidei, aut Bonorum Operum Regno functionem huiuſcemodi tribuunt, impropriè ſine du‑bio (vt paulò etiam ſupra iam diximus) loquuntur. Partes enim ipſius Fidei ſunt noſtris cordibus perſua‑dere, ſancti ſpiritus arrhabone ſimul id comprobante, nos à Deo fuiſſe ante conditum mundum electos, ac di‑lectos in Chriſto Ieſu, vt per hunc vnū perpetuò ſerua‑remur. Bonorum autē operū Regni munus eſt, vbiq; benefactis atteſtari, nos iſthanc ipſam fidem ad eundē Ieſum Chriſtum perducentem ſequi. Verum Solius Chriſti Ieſu propriū ac ſuum vnius eſt, & vt ſeruet, & vt ſalutem conferat. Hìc verò Dominicus noſter aiebat ſeſe, vtpote qui tyro etiam tunc eſſet, nonnihil addubi‑

taſſe

taſſe: atq; ideo Venetum interpellaſſe his verbis. Mi frater inquiens, ſi res ita ſe habet, vt ante homines natos electi dilectiq; à Deo in ſuo filio Ieſu Chriſto fuerimus, quî quæſo conſtabit quod Paulus Apoſtolus aſtruit natura nos eſſe omneis iræ filios? Et quod ſine fide impoſſibile eſt placere Deo? At obiectionibus iſtis porrò Venetum ſic reſpondiſſe dicebat, vt oſtenderit nullam in hiſce dictis ineſſe repugnantiã. Etenim licet, inquit, ſecundum naturam Adami vitio deprauatam ſimus omnes iræ filij, tamen nihilominus iuxta diuinæ gratiæ prædeſtinationẽ Deo ſẽper ſumus in Ieſu Chriſto chari: quemadmodum idem Paulus ad ſuos Romanos olim ſcripſit: ipſum Deum ſuam erga nos charitatẽ palam feciſſe, quia quum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt Hæc in nos Dei Charitas, ab ea nimirum prouenit ipſius electione, per quã ante conditum orbem ſuo filio nos donauit. Ita ſanè vt ira Dei contra naturæ vitium, non aduerſus Electorum perſonas feratur. Id quod Adami, Dauidis, Petri & Pauli Apoſtolorum, adeoq; omnium in libro vitæ conſcriptorum exẽplo manifeſtiſſimè comprobari poteſt: quorum ſcelera ex veteris hominis natura prognata odio proſequitur deus, Perſonas aũt prius etiam q̃ orbem condidiſſet in Chriſto Ieſu gratas & acceptas habuit. Quod verò dictum eſt, abſq; fide Neminem Deo placere poſſe, tantundem eſt, ac ſi diceretur: Neminẽ agnoſcere aut certò ſcire Deo ſeſe in Ieſu Chriſto placere, niſi id ex animo credat: quum ipſius fidei primaria functio ſit, vt quibus donatur cælitus à Deo, ijs eiuſce rei notitiam & certitudinem exhibeat. Secundaria vt iſthanc ipſam & noticiam & certitudinem ſuam bona-
rum

rum operationum fructibus palàm ostendat. Subiunxitq; complura alia Paulinis in Epistolis loca, vbi de fide agitur, eodem esse modo interpretanda. Quum meis interrogationibus (Dominicus subintulit) ita Venetus fecisset iam satis, institutam prius narrationem hoc pacto prosecutus est, inquiens. Eiusmodi locutionibus proprijs, atq; improprijs etiã Iesus Christus ipse frequẽter est vsus: veluti quum ait. Ego sum lux mundi, proprius hic sermo est, quando re vera solus ipse sol ille iustitiæ est, qui vniuersum hunc orbem illuminat. Quũ autem & suis Apostolis dicit: Vos estis lux mundi: improprius est sanè sermo: quoniam Apostoli non in se ipsis, sed in ipso tantum Domino sunt lux. Præterea quum eisdem Apostolis edicit, vt pœnitentiam & peccatorum remissionem suo nomine per omneis genteis prædicent, proprijssimè, vt ità loquar, loquitur, quãdoquidem solus ipse est cui Prophetæ omnes testimoniũ ferant, quod per eius nomen delictorum veniam consequantur, quicunq; illi fidem habeant: Quum verò ijsdẽ Apostolis inquit: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittentur eis, eum non proprie hîc loqui certũ est, quũ id Apostolis tribuat, quod sibi vni solũmodo conuenit propterea quod Apostoli non nisi Nuntij ac Ministri sint eius criminũ condonationis, quæ per solũ Iesum Christũ fit ijs, qui credũt in eum. Atq; hîc demum bonus ille Bassanensis Dominicus loquendi tum finẽ fecit: Sibiq; omnes cuiusuis hac in re dubitationis nodos è pectore per Venetum fuisse sublatos asseruit. Id quod euenisse tibi quoq; Bertuci nunc mihi facilè persuaserim.

Joan: 8. Mat:] 8. Lucæ. 24. Actuũ 20. Joan: 20.

BER. Non malè tibi persuades Paule: Mihi enim iam est optimè factum satis: teq; hac de re multũ amo.

pa. Equidẽ

PA. Equidem gaudeo. Sed quidnã illud est quæso, de quo te post meam perorationem interrogaturum esse paulo ante dicebas?

BER. Dicam tibi nunc Paule. Sæpius audiui ex Papę addictis hominibus, qui asseuerarent nos quidem ad instituta sui Bonorum Operum Regni seruanda multis de causis obuinctos teneri: Sed inprimis ob id, ne simus nostris proximis offendiculo, scandaloue. Quid cum hoc suo sibi scandalo velint, non satis assequor. Quũ sciamus pro virili parte inseruiendum esse proximo, nolim profectò alicui sermonem dare, aut vlla in re vel insciens offendiculo esse. Quid tu ais hac de re Paule?

PA. Illud præ omnibus est hîc animaduertendũ Bertuci, quod quæ de scandalo nugantur Papistæ, neutiquam cum his conueniunt, quæ de hoc ipso diuinæ literæ prodiderunt. Vt autem hanc eorum dissimilitudinem facilius intelligere valeas, paucula quædam mihi prius per quàm breuiter de Christiana libertate perstringenda sunt: Deinde meam opinionem non de quouis equidẽ scandalo, sed de præcipua modo scandali specie, quæ res aliquot ad christianam fidem pertinenteis attingat, in medium proferam. Iam igitur quæ sum dicturus ob seruato. Inter innumera sanè beneficia quæ Iesus Christus Deus ac Dominus noster sibi fidentibus contulit, hoc non infimum prorsus obtinet locum, quod eorum conscientias ab diuinæ legis intollerabili iugo sic liberauit, vt quemadmodum per ipsius legis opera sese iustos esse coram Deo minimè arbitrantur, ità nullam damnationem extimescunt, quod non omnia legis eiusdẽ opera sint omnino, vt ipsa requirit, executi: quin potius ab hac ipsa iam liberi, ac diuinæ voluntati sua sponte ob

ſequentes,nequaquam dubitant ſuas operationes quã-uis imperfectas, Deo per Ieſum Chriſtum legaliũ præ-ceptorum ad vnguem pro ſuis executorem,placere. Ni-hil verentur libere,promiſcueq; vel vti,vel non vti ve-ſtibus,cibis,temporibus, ceremonijs,alijsq; rebus omni bus, quemadmodum Deus id faciendum cum gratia-rum actione,atq; in proximi vſum præcepit. Verùm quia nõ omnes,qui trahuntur à Deo,ſtatim in poſſeſsi onem libertatis huius pedem ponunt,neq; hoc ſpiritua le beneficium quo liberantur à lege,cõfeſtim agnoſcũt, viſum eſt Ieſu Chriſto,vt ij quibus integra tanti mune-ris notitia ſupernè donata eſt, ſummo ſtudio rationem eorum habeant,qui etiamnum in fide infirmi ſunt: nec ſuæ libertatis abuſu illos offendant, aut ſcandalizent: quod quidem facilè fieri conſueuit, quum hæc ipſa li-bertas à ſpiritu ad carnem:ab internis cõſcientijs,vbi re gnare habet, ad externa corpora, quibuſcum ei nihil eſſe negotij debet, vt quæ mundano Magiſtratui ſint ſubiecta,transfertur. At quoniam his de rebus in mea-rum Epiſtolarum locis quamplurimis abundè ſatis eſt dictum,longiore hîc narratione ſuperſedebo: præſertim quum mihi perſuadeam poſſe te per teipſum è paucu-lis his,quæ recenſuimus,iam colligere,quid ſcandalum ſit. Quod quidem nihil aliud eſt q; offenſio quædam, qua fratris infirmi turbatur animus, exiſtimans aut di-ci,aut fieri contra diuinam legem,à qua nondum peni-tus liberatum ſe eſſe cognoſcit. Hîc iam itaq; prætermiſ-ſa Diſtinctione Actiui ac paſsiui, Dati atq; accepti ſcan-dali,vt loquuntur: quàm diſpar ſit,quid è ſcholaſtica bar barie ſcandalum Papiſtæ ſomniãt ab eo, quod nobis di uinæ literę prodiderunt, breuiter indicabimus. Primo

igitur

igitur scandalum, quo de sacris in literis habetur, non permittit, vt offendamus, qui Christo iam credant, infirmos, quēadmodum ipse Christus ait, Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt: Postea verò non concedit, eosdem à nobis, eorum quæ diuina lege continentur præceptorum transgreßione offendi: quum & Christus ipse, & nos ipsius Apostoli de eius quæ tunc vigebat, legis transgreßione sine, controuersia loqueremur. Sed enim è contrario Papistarum scandalum Papisticos Christianos minimè per nos offendi vult. Qui tamen tantum abest, vt verè in Christum credant, vt etiam ne hoc quidem, quid sit verè in Christū credere, satis norint. Deinde non sustinet, vt eorū, quæ Papistica lege continentur, præceptorum transgreßionibus eos offendamus, nihili pensis interim diuinæ legis transgreßionibus. Quocirca iam per te potes (vt arbitror) videre, quam omologian offendiculorū hæc duo genera inter se habeant. Summa hæc est: Quarum rerum aut vetitarum, aut præceptarum transgreßionibus imbecilles in fide nostra tempestate offendebantur, eas res in sacris Biblijs fuisse contentas, atq; inde tunc autoritatem habuisse hîc dico. Quæ verò Papistis præbere offendiculū nunc videntur, illas non modò non contineri sacris Biblijs, indeq; autoritatem habere, sed potius illis ipsis perpetuò contrarias, ac multo etiam Pharisaicis traditionibus deteriores omnino esse contendo. Quamobrē quū olim eas ipsas Pharisæorū traditiones permittente Christo licuerit nulla scandali habita ratione contemnere, multò magis in præsenti Sathanicas Papæ constitutiones eodem modo contemni posse non dubito. Quin insuper hoc etiam addo, quod quemad-

modum vbi Deus aliquid præcipiat absq; vllo ad quod uis offendiculum respectu, obtemperandum est, quum non minus fidei charitas, q; libertas charitati subesse debeat: ita vbi Papa contra Dei verbum aliquid imperet, nequaq; est ei, vt scandalum euitetur, obsequendum. Scandali nanq; religio in rebus tantum medijs, atq; indifferentibus inest: Id quod in præceptis Papæ, qui suas leges ad obseruandum necessarias esse vult, locum non habet. Postremò quod ad alia scandalorum genera pertinet, quæ inter verè Christianos tam in adiaphoris, q; in leuiter, inordinatè, lasciuè, temereq; factis rebus exoriri possunt, ita constituendum est, vt Christiana libertas inseruiat charitati: nec infirmum, pro quo mortuus est Christus, offendat fratrem: sed eius imbecillitatem ferat, quoad & ipse præstantissimũ hoc libertatis Christianæ donum, & agnoscat, & assequatur.

BER. De scandalo iam satis abs te habeo Paule, Videorq; mihi etiam hac in re nonnulla quæ prius non videram, videre. Verum de his, quæ paulò ante dicta sũt, adhuc hæret in animo paululũ, quod requiram. Id autem est huiusmodi. Si partes veræ fidei sunt humanis cordibus certò persuadere, nos ante conditũ mundum á Deo fuisse & electos, & dilectos in Christo Iesu, quô per eum vnũ perpetuò seruaremur, quî quæso poterit simul consistere, quod Ecclesiastes ait, Neminem scire se vel amore, vel odio dignum esse?

PA. Quod tibi dixi non ità dudum Bertuci, videlicet æternam Dei electionem ac dilectionem in Christo Iesu solam atq; vnicam ad perpetuam salutem esse viam: ac præterea fidem esse, quæ sancti spiritus opera, Dei misericordiam in eodem Iesu Christo complectens in nobis

eius rei plerophorian insculpat, vsq; adeò perspectum, exploratum, ac persuasum tibi esse oportet, vt si quis aliter tibi persuadere, aut animum tuum aliqua dubitatione labefactare conetur, haud verearis hunc abs te tanquam Sathanæ Ministrum amouere: vt qui mendacij quod in se est, arguat ipsum Deum, in quo vno, & non in te, tuæ fidei certitudo consistat. Neq; huic certitudini Ecclesiastæ sententia, quam huc attulisti, refragatur: quum nihil aliud eò loci sibi velit Ecclesiastes, si ad hebraicam lectionem verba reuocentur, q̃ omneis homines in manu dei esse, nimirum vni Deo esse curæ: atq; ipsum hominem suapte natura nescire quid veluti bonum amandum sit, aut quid veluti malum odio prosequendum: quum omnia probis æquè ac improbis euenire videãtur. Quo iudicium nostrum rebus in omnibus diuinæ sapientiæ, quæ nostri curam habet, subijciamus. Vt per te iam animaduertere possis, nullũ hîc neq; de Dei erga nos, vel amore, vel odio, neq; de nostra vtriusq; horũ ignoratione verbum fieri, simulq; obseruare potes quantam pernitiem diuinarum scripturarum imperitia secum trahat.

BER. Est ità sanè vt dixti Paule. Nam locus hîc incommode tralatus, atq; incommodius expositus, mirum quam amplam ruinæ multis occasionem præbuerit. Verum enim vt omnem penitus asphalian meo ex animo tandem euellam, libenter mihi velim etiam explicari, quænam huius electionis causa sit: & quonã pacto hæc eadem quum in ipso Deo sit abdita reconditaq; cognosci tamen à nobis ac percipi queat.

PA. Hæc ipsa quoq; breui expediam. Primũ itaq; sempiternam Dei voluntatem suos in Iesu Christo per-

petita misericordia, & charitate prosequentis, vnicam electionis diuinæ, quauis præteritorum, præsentium, futurorúmue operum explosa ratione, causam esse cõstantissimè asseuero: quemadmodũ etiam crebrò meis in Epistolis indicaui. Deinde non posse nos hanc ipsam electionem in diuinæ sapientiæ profund, impenetrabilemq; abyssum intuenteis agnoscere, sed è sacris tantũ literis hauriendam esse aio. Quod quidem etiam quo simul ordine fieri, quibusq; discriminibus, ac certis gradibus agnosci consueuerit, vobis meis Romanis olim per epistolam significaui. Nã memini me in hãc fermè sententiam scribere: videlicet Prædestinatos, siue Præordinatos, seu Electos, (quod idem est) à Deo, vt æternam in Iesu Christo salutem consequantur, ab ipso Deo & interna sui spiritus, & externa sui verbi voce aduocari: vocatos iustificari: iustificatos verò tandẽ etiam immortalis gloriæ corona decorari. Quorsum autem hæc omnia? nempe vt quisquis à Deo se senserit exterius interiusq; vocatum, atq; ab eodem per Iesum Christum se firmiter ex Erebi faucibus ereptum, iustificatumq; crediderit, Is liquidò per hæc signa percipere, sibiq; tutò persuadere possit, sese ab ipso Deo prædestinatum, electumq; in Iesu Christo esse, quò deniq; beatus æuo sempiterno fruatur. Ac sic ipsum Christũ Iesũ tanq; speculum sibi ob oculos proponit, in quo suam electionem sine vlla intermissione intueatur.

BER. Reliqua assẽtior, quæ abs te dicta sunt, esseq; verissima non dubito. Sed interim quo pacto id accipiemus, quod Christus ait, Multos quidem esse vocatos, at paucos tamen electos?

PA. Ego dicam tibi. Deus bifariam ad se mortaleis

vocat, nimirum externa verbi sui prædicatione, qua generaliter omneis inuitat, eos etiam quorum casui est hæc ipsa prædicatio destinata: & interna sui spiritus illustratione, qua secundum suum propositum quosdam separatim trahit, atq; efficit, vt annuntiatum ijs Verbũ suum intrinsecus radices agat, intelligatur ab ijs apertissimè, firmissimeq; credatur. Quemadmodum etiam duos volendi modos habere cognoscimus Deum: alterum suis in scriptis orbi retectum & annuntiatum, quo seruari vult omneis homines, licet ipsorum vitio non ita multi seruentur: alterum verò mortalibus occultum & incognitum: quo quidem quum in cœlo tum in terra, quicquid vult agit ac perficit.

BER. Vix exprimere verbis queam quanta lætitia nunc exultem, Paule, quum omneis mihi sublatas ex animo dubitationes iam sentiam: atq; vbi verum meæ salutis fundamentum sit positum, enodatè cognoscam:

PA. Non satis est nouisse fundamentũ, Bertuci, nisi etiam superextruaris, & adaugescas Deo: atq; alijs omnibus te id facere probes. Quod quidem quum minimè fieri possit in impijs, quas nunc inhabitas, Regum Aulis, vbi hominum incredibilis peruersitas est, te etiã atq; etiam oro, vide vt inde te eximas quàm celerrimè potes: atq; aliò te conferas, vbi Christianam vitam viuere integrè valeas. Longe nanq; falluntur opinione, qui se aut Christo mundanis, aut mundo Christianis affectionibus inseruire posse sibi persuaserint.

BER: In Regiam me nunc iam sine vlla mora sum recepturus, vt quum quæ possim, de meis inde reculis asportauero, nunquam amplius illuc reuertar.

PA. Sanè rem tecũ recta Bertuci reputas via. Equidem

dem laudo vt renuncies iam ipse tibi: ac tollas crucem tuam, et Christum ex animo sequaris: nihil enim tibi deesse poterit hunc sequenti.

BER. Ita faciam. Sed vbinam quum rediero, vos inueniam? Etenim ex Vrbe etiam vnà vobiscum exire decreui: atque vbi vos iusseritis, ibi consistere.

PA. Nos haud longius hinc abibimus. Verum tantisper dum regrederis, Papæ Palatium, quod non nisi extrinsecus adhuc vidimus inuisemus.

BER. Actutum redibo.

ACTVS QVINTI

SCENA PRIMA.

GRATIA IVSTIFICANS, ANGELVS RAPHAEL.

QVandoquidem iam alterum è negocijs diuinitus demandatis fœliciter executi sumus: antequam ad alterum aggrediamur, expedire videtur mi Raphael, vt Petrum ac Paulum Apostolos, qui quemadmodum nosti, nunc in Vrbe sunt, prius inuenias: quò quum itidem hoc alterum confecerimus, hinc pariter nobiscum egrediantur.

RA. Nisi nunc ob excitatum hîc tumultum aliquo tuto in loco abditi lateant, cõtinuò illos huc adducã.

GRA. Ego te in proximis ædibus Faustinæ nostræ interim præstolabor.

Rapha-

RA. Optimè sanè. ô facinus post hominum memoriam præclarissimum quatuor, & feras, & immaneis belluas, vnis tantum plagis irretisse. ô numeris omnibus absolutissimam Dei sapientiam, æquissimumque Dei iudicium, superbis ità restitisse, vt pœnitus oppressi iam sint. Liberum Arbitrium: Bullatus Rex, vel potius inanissima bulla, qui se suapte ui posse cælum conscendere arroganter iactabat, capitis damnatus, mortem obijt: pænasque dedit eius criminis, quod grauius profectô, quàm Adami peccatū fuisse, videri possit. Quoniam Adamus quidem non nisi posse ex se scire: Is autem posse etiā ex se operari bonum ac malum voluit. ô superbiam insolentem, quæ se Deo non tantum æquare, sed etiam præferre audebat: Eidemque (quod in se erat) omnipotētiam, bonitatem, prouidentiam, reliquasque ipsi vni proprias virtutes eripere: Atenim quinam hi sunt, quos è Papæ conspicor exeunteis palatio? nisi me fallit aspectus Apostoli sunt. Hic paulisper immorabor: quando recta huc eos ire conspicio.

ACTVS QVINTI

SCENA SECVNDA.

PETRVS APOSTOLVS, PAVLVS APOSTOLVS, ANGELVS RAPHAEL.

IEsus Christus Præceptor noster Paule, quādiu hîc inter mortaleis egit, non habuit, vbi reclinaret caput: & Pa

pa hoc in loco ædeis magnificẽtiſsimas, qualeis nullus orbis Monarcha ſplendidi, ores ornatioresq́ teneat, vt vidimus, in pręſẽtia incolit. Pręceptor noſter dignitates, diuitias, honores, ac ſibi ſemel oblatũ Regnũ animo magno fortiterq́ contẽpſit: & Papa poſſeſſor impotẽtiſsimi dominatus adeò hîc ſuperbit, vt hæc omnia ſibi expetat, arroget, & aſsumat, atq́ id quidem eò fœdius, quod mei patrimonij neſcio quod ius hîc prætexat: quum nullum ego aliud patrimonium, quam lintriculum, ac ſciſſum rete poſſederim. Præceptor noſter pedibus iter ingrediens, Paleſtinam Prouinciam aſsiduè peragrabat, quo pluribus in locis oueis ſuas paſceret Verbo Dei: Et Papa hîc aurata ſella ceruicibus hominum impoſita, nõ ad paſcendas: ſed ad deglubendas, ac deuorandas Chriſti oueis per Vrbem fertur. Præceptor noſter ſuis diſcipulis pedes lauit, vt ab ipſo tum demiſsionis, tum charitatis exemplum diſcerent: et hîc Papa non tam ſuſtinet, q́ imperat, ſuos ipſius pedes ab omnibus etiã Regibus, ac Cæſaribus oſculari, vt ab ipſo ſuperbiſsimæ tyrannidis exemplum diſcant. Præceptori noſtro illuſum eſt corona ſpinea capiti impoſita: et Papæ aureo, gemmeoq́ Diademate caput regificè, vt ità dicam, coronatur. Deniq́ Præceptor noſter quoad vixit nunq́ depoſuit è ſuis humeris crucẽ: Papa verò delicatè, molliterq́ hîc viuens, aliorum tãtum humeris crucem imponit: et nihilominus hic eſt ille Papa, qui Chriſti Vicarium hîc agere videri velit. ô belliſſimum Vicarium.

PA. Non eſt quod his de rebus admodum Petre mireris: Nam terreſtrem quandam paradiſum Epicuri fontibus irrigatam hîc ad ſuauiter perfruẽdum ſibi conſtituit Papa, vt qui aut nuſq́ alibi eſſe aliam credat: aut ſi

credit, ad se illam minimè pertinere non ignoret. Sede nim iam hinc obsecro celeriter abeamus, vt grauem hãc dum palatium lustrare pergimus, exortam hîc seditionem effugiamus.

PE. Existimo faciendum, vt nostrum Bertucium hîc opperiamur, quò nobiscum hinc & ipse abeat simul. Verum quis ille quæso est Paule, qui non ita procul consistens nos intuetur? Si licet ex facie corporisq; habitu facere coniecturam, è cœlestis Hierosolymæ Ciuibus vnũ hunc esse apparet. Minimè quidem errauì, nam Angelus Raphael est. Noui aliquid adsit oportet.

RA. Saluete Apostoli Dei. Opportunè adestis. Vos ambos volebam.

PE. Tu quoq; saluus sis optimè Raphael. ecquid è cœlo noui nobis adfers?

RA. Nihil sanè, nisi quod vos hinc abire Deus iubet: vt extremum discrimen, quod nunc supra caput est hîc, euitetis.

PE. O summa Dei erga nos bonitas, quam continuam nostri curam habet. Commodum sanè Paulus atq; ego nunc inter nos de abitione tractabamus: Neq; hic nos inuenisses, nisi cuiusdam Fratris nobiscum educendi desiderium detinuisset. Sed num quidnam quæso nosti Raphael qui turbines concitauerint hanc procellã? ne graueris oro te dum huius aduentum hîc aliquantulum moramur, indicare.

RA. Vno verbo expediam. Totum hoc incendium, quod vehementius quam vos fortasse putetis, exardescit, ob Liberi Arbitrij fatalem quẽdam casũ interuenit.

PE. Et quidnam accidit obsecro huic Tyranno? Nã vt scias mi Raphael, Is quem nũc præstolamur eius Re-

gis erat aulicus, licet non ità dudum Christo Paulus hũc lucrifecerit, atq; idcirco nunc in Regiam se contulit, vt ablatis inde suis reculis, ad nos illicò reuertatur.

RA. Ergo Is, quum redierit, mirificum euentum rei huius diffusè vobis enarrare poterit. Cæterum aliud quiddã maioris adhuc ponderis est, propter quod exeũdum vobis ex hac impia Vrbe sit, nempe grauissima insectatio, ac præsentissima mors, quam veris Christianis hinc nunc Antichristus intentat.

PE. Animaduerti planè Raphael Vrbem hanc non fontem, sed Oceanum quendam esse, vnde in Christianam religionem omnia omnium impietatum flumina deriuentur. Sed Christianæ pietatis persequentissimum Antichristum hanc eandem inhabitare, id verò minimè perspectum habui.

RA. Non valdè hoc mirum est, quum non sub Antichristi, sed sub Papæ nomine hîc Regnet.

PE: Quid hoc rei est? Papa igitur est Antichristus? mira sunt omnino quæ narras.

RA. Ipsissimus Antichristus: Attamen obseruandũ id est, vtriusq; tam Papæ, quàm Antichristi nomen, non ad vnum hominem, sed ad impium quendam dominatum, in quo plures per seriem succedant homines, referri: cuius quidem dominatus, quum leges, tum opera, per speciem Christianæ pietatis, ipsi Christo penitus aduersentur. Atq; hunc ipsum, qui eiusmodi dominatui præest Antichristum, Sathanę per orbem vicarium esse.

PE. Quis vnquam id existimasset? Equidem Papam ob Sathanicam suam superbiam, vitamq; nefariam, ac sceleratam, omnium, quos vnquam sol iste conspexerit, esse nequissimum arbitrabar. At etiam Antichristum esse, Diabolicq; Vicarium, id verò neutiq; credidissem.

Raphael

RA. Non itâ creditu difficile fuerit, si quis aduertat, quem ipse seipsum faciat.

PE. Verum quonã tempore Sathanicus is dominatus initium sumpsit ô Raphael?

RA. Quum eundem Papam ipse Sathanas ad tantam euexit insaniam, vt se pro terrestri quodã numine falsissimè venditaret, itâ vt nouos fidei articulos, noua Sacramenta, nouasq; Sanctiones extra dei verbum conderet: quibus parendo cœlum, inferos autem non parendo promererentur homines: potuitq; pro veritate falsitatem hanc eorum animis veteratoriè, ac subdole instillare, tunc cœpit Antichristus & interius in mortalium mentibus, & exterius in Papatu regnare. Sedes enim hæc illi Romæ separatim debebatur, vt Vates Daniel, ac Ioãnes Theologus in suorum voluminum locis quamplurimis & apertissimè, & verissimè contestãtur: Sed quisnam est is obsecro, qui tam vehementer huc properat?

Dan. 7.
Apoc: 17.
Septemque vna sibi muro circundabit arceis.

PE. Atat Is est Bertucius noster, quẽ expectabamus.

RA. Iam ergo pariter hîc manete: dum Gratiam Iustificantem è proximis ædibus huc euoco, vt quamprimum simul omnes his è Sodomis egrediamur.

PA. Adestnè Raphael Gratia Iustificans nunc Romæ? Et quid illi quæso cum Babilone confusissima?

RA. Ex ipsa audies mox ventura.

ACTVS QVINTI
SCENA TERTIA.

LIBERVM ARBITRIVM BERTVCIVS, PAVLVS APOSTOLVS, PETRVS APOSTOLVS.

QVam repentinis casibus miseri mortales obruuntur. Tandiu dum sermonem cum Petro Pauloque Apostolis hîc traxi, Liberum Arbitrium Regem de imperio fuisse deiectum aiunt. ô Rerũ humanarum infirmissima fundamenta: Vbi nunc vasta illa, atque immensa potentia, quam iniustissimè sibi superbissimus Tyrãnus assumebat? quum in animum induxisset, se etiam ipsi Deo posse resistere. Nã asseuerabat in suis viribus esse situm, diuinam recipere vellet gratiam nec ne: sic inquam, vt suo ipsius arbitratu quum in hac ipsa, tum in alijs rebus omnibus posset per se, aut efficere, aut nõ efficere quicquid liberet. Atenim qui verè solus potest omnia, potentem hunc de solio deturbauit. Sed hîc adsunt, vt video, præstolantes Apostoli.

PA: Satin salue Bertuci?

BER. Satis ex sententia mi Paule.

PA. Atqui verebamur, ne tibi aliquid obuenisset aduersi, ob tumultus: quos in eius Aula, qui quondam tuus erat Herus, exortos esse audiuimus.

BER. Permagnis ibi sanè tumultibus æstuari nunc certum est: Verum ij nullo mihi fuerunt impedimento.

PA. Nostin obsecrò vnde originem habuerint?

BER. Adeò quidem (ne mentiar) ad celeriter expedienda mea negotiola intento animo fui, vt quæ causæ motus eiusmodi concitauerint, exquirere non curarim. Verum hoc tantum Aulicus mihi quidam, dum abitionem adornarem superueniens indicauit: Papam ipsum

ipsum, ipsiusq; filium Clerum, vna cum suis ipsorũ & Aulicis, & Curialibus, cum Scholasticis Theologis, & Doctoribus Canonistis, atq; etiã Summistis, quos vocant, eas nunc turbas dare: ob hanc videlicet causam, quod Liberi Arbitrij Maiestatem minui molestè ferãt: quo autem pacto ea sit imminuta, non satis exploratũ habeo: quod noluerim interrogando inibi diutius immorari, præsertim quum ille ingemiscens freqũeter exclamaret. Quid Regi nunc misero fiet?

PA. Videor mihi videre diuinam hîc aliquam vltionem, quæ personam huic Tyranno, ne diutius iniquæ scenę seruiat detrahens, ob suas illum imposturas punire voluerit. Etenim nullius rei simulatio diuturnitatem habere potest. Verum vtcunq; hæc habeant, Gratia Iustificans, atq; Angelus Raphael hîc statim aderũt, cum illis pariter ex hoc fędissimo loco excedemus, Atq; ecce tibi lupus in fabula (quod aiunt) ij sunt, qui illinc huc adueniunt.

ACTVS QVINTI

SCENA QVARTA.

GRATIA IVSTIFICANS, ANGELVS RAPHAEL.

REipsa mi Raphael hîc iam comperi Iesu Christi sententiam, qua Meretrices ac Publicanos in Regno dei præcedere Pharisæos hypocritas asserit, esse quàm

quâm certissimam. Faustina hæc eadem tua, atq; eadẽ nostra, à qua nũc egressi sumus, ab imis vnguibus, vsque ad verticem summum, nequitia, atq; omni scelere fuit olim coopertissima: Quumq; illi Deus per suam legem ostendisset, quam inde promerebatur, damnationem, adeò perterrefacta erat, vt nisi ego stratã & abiectam subleuassem, de sua salute desperatura fuisse videretur. Sedenim quum deniq;, me indicante, Iesũ Christum per suam ipsius mortem, & seruatorem, & liberatorem, & beneuolentiæ Dei conciliatorem, planissimẽ cognouerit, ac firmissimè crediderit, secura lætaq; nũc pace iam fruitur: nihilq; illi potius in præsens est, quã se totam in illius tantum iustitiam abdere. Contra verò Pharisæi falsam modò suorum operum iustitiam intuẽtes, vt nec suum peccatum, nec suam labem, nec suã damnationẽ per diuinam legem vident, ita Iesu Christi satisfactione nihil esse sibi ipsis opus existimãt: quumq; se nullo morbo tentari, sed sanos esse falsò sibi persuaserint, medicinæ sese egere non arbitrantur, ac propterea etiam nullum medicum quærunt.

RA. Rectè sanè. Nam etiam nobis Angelis maiorẽ lætitiam vnus aliquis peccator ad meliorẽ frugem per te conuersus afferre solet, quàm nonaginta nouem iusti eius generis Pharisæi, qui pœnitentia, vitæq; correctione se egere, minimè videri volunt. Ecce autẽ Apostoli nostrum aduentum illic expectantes: Adeamus ad eos, vt mox omneis in vnum collectos ex hac putida Vrbe, tanquam Lotum è Sodomis vos educam.

Actus

ACTVS QVINTI

SCENA QVINTA.

PETRVS APOSTOLVS, GRATIA IVSTIFICANS, BERTVCIVS, PAVLVS APOSTOLVS, ANGELVS RAPHAEL.

SAlue perpetuò Iustificans Gratia: Sustulimus manus ego & Paulus, quum te hîc adesse nobis Raphael indicasset.

GRA. Saluete & vos Apostoli Dei. Non minimi est momenti huiusce mei aduentus causa; quamobrem non est omnino, quod miremini. Sed quisnam est ille bonus homo, quem stare vobiscum hîc video?

PE. Liberi Arbitrij non ita dudum erat Aulicus. Verũ vera iam Christi religione institutus, nihil aliud magis exoptat, quã per te nunc in Aulicorum ipsius Christi collegium cooptari. Itàne Bertuci?

BER. Ita omnino. Nec mihi dubium est mea Domina, quin Iesus Christus me sit in suam fidem, ac beneuolentiam per te recepturus.

GRA. Meum hoc munus est mi frater, vt Electos Dei, ad Iesum Christum adducam. Quapropter summo iam opere gaudeo, me habere te etiã, quem ipsi Christo Iesu nunc sistam, atq; hunc eundem tuum planè reddã. Neq; est quod amplius ab impurissimo hoc Tyranno,

quia ipsum deserueris metuas, quum iam suis impijs factis, digna sit morte multatus.

PE. Quid ego nunc audio? Liberum ergo Arbitriū obijt mortem?

GRA. Obijt ille sanè, ac mea manu confectus obijt: quod quidem vt per me fieri Deus voluit, ita per me quoq; nunc notum fieri, sed suis Electis tantum, vult idē Deus. Nam reliquis omnibus vafricie sua persuasit Sathan, vulneratum solummodo, non autem penitus extinctum esse hunc Tyrannum. Quin & superbis ac stolidis quibusdam ità imposuit, vt illum ipsum incolumē adhuc esse contendant.

PE. At quonam modo negocium hoc tam arduum abs te quæso peractum est?

GRA. Dicam tibi mi Petre. Quum singularem insolentiam ac superbiam intolerandi huius Tyranni sese indies arrogantius extollentis, ne altius euolaret, deprimere iam velle decreuisset Deus, me ipsam è cœlo demisit, quæ isthanc exequerer suo ipsius nomine prouinciam. Ego verò, quæ præfractum hunc Dei hostem oderam cane peius & angue, tempus idoneum exequendi negocij nacta hodie, quum in conclaui Tyrannus cum suis clandestini nescio quid agitarent colloquij, locum ipsum per cuniculos latenter ingressa sum, idq; cū ipso, cumq; ipsius & Vxore, & Filia, nec non regio Procuratore consceleratis gregalibus, qui simul aderant, effeci, quod Iudith olim cum Holopherne proditum est literis effecisse: vt non immeritò iam numerum iure cœsorum omnes obtineant: atq; illicò sic inde clanculum abij, vt à nemine vno sim visa.

Pe. O sapientissimum Dei consilium. En quàm huic

illusori

illuſori illuſum, impoſtoriq́ impoſitum probè eſt. Nam perſonatus is Nebulo verbis quidem pollicebatur ſuis populis libertatē; at re vera Tartareæ ſeruitutis iugo illos premebat. Quocirca cum tanti momenti negocium tam prudenter, ac tam fortiter ſis executa, promereris tu quidem ob inglorij Tyranni mortem, immortalem gloriam. Neoptolemæa vltio.

GRA. Vt ſolus Deus bonarum omnium operationum autor eſt, ſic ipſi ſoli debetur omnis honos & gloria. Sedenim hoc etiam hîc Petre non eſt ignorandum, Tyranni huius mortem, tum ſui ipſius bonorum operum regni, tum omnium eidem impoſitorum Vectigalium ruinam ſecum trahere. Quanq́ verſipellis Antichriſtus neruos hîc omneis intendat, vt hæc omnia in cunctis ſibi ſubiectis hominibus, antiquum robur, ac firmamentum etiā nunc habeant, ſimulq́ neſcio quod iniquiſsimum alioqui ius, dum ipſe rerum potitur, obtineant. Verum enimuerò iam tempus adeſt mi Raphael, vt alterum negocium commiſſum nobis à Deo properè conficiamus. Porrò autem quemadmodū ego prioris exitum expediui, ità tibi poſterius hoc feſtinanter eſt peragendum. Hæc igitur exempla pronunciatę ab ſanctiſsimo ac iuſtiſsimo iudice, domino noſtro Ieſu Chriſto, in Antichriſtum ſententiæ, nunc accipe, atq́ ad publica Vrbis loca ſublimè, vt cunctis innoteſcant, quam celerrimè fieri poteſt, affige. Nos quoad reuertaris, hîc morabimur vt vnà deniq́ omnes hinc proficiſcamur.

RA. Ego verò vt libenter, ità maturè hoc abſoluam, & quamprimum hîc adero.

PA. Damnatus itaq́ in cœlo eſt Antichriſtus? ô fa-

ctum benè, grauissimus enim aduersarius Iesu Christi semper extitit. Verum quum hoc acciderit nobis absentibus, damnatorij iudicij summam per te nobis referri, gratum foret mea Gratia.

GRA. Quum vehementer vobis gratificari cupio, tum alijs quoq; non inutile futurum arbitror, si id fiat. Summa ergo mi Paule sic habet. Quũ dominus noster Iesus Christus, omnium creaturarum Iudex â Patre constitutus, liquidò comperisset, adesse iam tempus, quo pœnas daret Antichristus, eius impietatis, quam aliquot secula, tanquam deus in Dei templo sedens, ac per simulationem Christianæ religionis, se supra quicquid dicitur Deus extollens, exercuerat, capitis illum ipsum iure ac meritò damnauit. At ità quidem, vt gladio spiritus, quod est verbum Dei, sensim, ac paulatim sit interficiendus. Qui sanè interitus, ab ipsius Antichristi parte, tam ingens excitaturus est incendium, vt flamma sit ad cœlum vsq; conscensura.

PE. Quam pium erit & Christianum, Antichristianã hanc impietatem extingui. Et cœperat quidem Raphael noster hoc de Antichristo nescio quid nobis paulò ante narrare: Sed interuentu Bertucij interrupta est oratio. Vnum hoc inde tantum accepimus: videlicet hac in Vrbe agentem Papam, Antichristum esse. Quod si tibi libeat, vsq; dum Raphael ad nos reuertatur, suis Antichristum ipsum coloribus nobis hîc diffusius apertiusq; depingere, feceris tu quidem nobis rem quâm gratissimam mea Gratia.

GRA. Haud grauatè sanè quod â me petitis, faciam. Sed miror tamen mi Petre, quum et tu, & Paulus noster in aliquot vestrarum Epistolarum locis, hac de

re men

re mentionem feceritis, hoc à me nunc expetatis.

PE. Fecimus, fateor mentionem: Sed quum neuter deinde nostrum hic adfuerimus, quando res, quas prædiximus futuras, in lucem prodière, minimè mirum est, minimam nos earum rerum nunc habere noticiam.

GRA. Agitedū mei Apostoli, nō iam amplius hoc aut miror, aut moror: Sed quando ita vultis, de ijs itidē quæ vultis, nunc dicere aggredior. Atq; vt hinc initium sumam: Id inprimis, quod ad ipsius Antichristi originē attinet, obseruandū est, illud ipsum Ens (vt hanc voculam hic vsurpem) qui Antichristus nominatur, non ex vna tantum, sed ex duabus naturis, humana nimirum & Sathanica, in vnū coalescentibus, esse compositum: quemadmodum etiam Iesum Christum ex humana diuinaq; natura constare, cōstat: vt scientissimus humanarum rerum Pasquillus haud ita pridem disticho nō ineleganti (vt mihi quidem relatum est) indicauit: ita inquiens.

Sicut in Christo Deitatis: ita in Antichristo Diabolitatis inhabitat plenitudo corporaliter.

Vnus vt ex homine, atq; Deo, fit Christus: In vnum
Sic Antichristum Pappa Satanq; coit.

Postea verō animaduertendum est, Eundem Antichristum non aliter Malorum Ecclesiæ caput esse, quā Bonorum Ecclesiæ caput est Christus: Harumq; Ecclesiarum vtranq;, tanquam corpus à suo capite sibi conuenientem humorum defluxum habere.

BER. Ni vererer molesta interpellatione vestram orationem interturbare, possem vobis Epigramma non ineruditum referre, quod idem Pasquillus ante hos dies in eandem sententiam ludens, non modo monstrosā atq; horrificam Antichristi naturam, Verum etiam ipsi

us vitam flagitijs omnibus inquinatam planiſsimè explanauit: atq; illud ipſum mihi, vt qui ſit meus conſobrinus, familiariter inſuſurrauit in aurem.

GRA. Tantum abeſt, vt moleſtum hoc nobis futurum ſit, vt optemus etiam vehemẽter, eius generis aliquid hîc referri.

BER: Continet igitur Epigramma (niſi quid inde mihi exciderit) hoſce verſus.

Quæ bina è ſpecie naſci animantia
Conſueuere, ſolent germinis inſiti
Hinc atq; hinc propriam reddere imaginem.
Quare quum gemina ſtirpe ſit editus
Antichriſtus item: Dæmone ſcilicet
Ac Pappa: Ingenium horum pariter refert:
Nam ſæuo è Satana, Maximus Optimus
Maior quam Deus eſt: eſt genitor necis:
Mendacijq; parens: ac ſcelerum ſator.
E Pappa eſt auidè deditus omnium
Idolum penitus cultibus impijs:
Corruptor ſuperi iuris & Inferi:
Arpyis etiam Prædo magis rapax.
Ergo quàm nihil eſt hoc vitioſius
Monſtro, tam nihil eſt pernicioſius,

Extollit ſe ſupra quicquid dicitur Deus. aut Numen. Ille ab initio fuit homicida: Et mendax eſt Et mendacij Pater: Et fratrum noſtrorũ accuſator.

GRA. Vt feſtiuè, ità ſanè verè Paſquillus hæc omnia: Nec tu quidem Bertuci tua laude fraudandus, qui memoriter hæc eadem nobis tam bellè recitaueris. Iam vero & vos Apoſtolos quum ex ijs, quæ bonus hic noſter Paſquillus cecinit, tum ex ijs, quæ per vos metipſos coram vidiſtis, Antichriſti & originem, & mores aliquo usq;

quo usq;

quousq; saltē nouisse arbitror. Nunc vnū hoc superest, vt quam etiā doctrinam Antichristus profiteatur, apertius agnoscatis. Nam inde melius, quā ex quauis alia re, Sathanicam ipsius naturā, vos esse perspecturos existimo. Principiò igitur vt se Deo parem Antichristus is faciat, ius quoddam canonicum, vt ipse vocat, nefaria promulgatione sanciuit, cui sacris literis æqualem autoritatem inesse mentitur: Itá inquam, vt qui eius fuerint executi præcepta, seruentur: Qui vero secus egerint, æternis pœnis adijciantur: quamuis hoc ipsum ius caninum, potius quàm Canonicum, nihil aliud ferè, quàm papisticarum mercium, litium, & rapinarum statuta cōtineat: quæ omnia diuinis penitus aduersantur scriptis, ac repugnant. Quid retulit Iesum Christum solū á Patre Deo Magistrum fuisse mortalibus constitutum, si etiam Antichristus arrogare sibi hoc idem poterat? Licet enim abs te Paule dictum sit probè, ne cæleste quidem angelum, qui aliud, quam Dei verbum afferat, esse audiēdum: ac tu Petre nullam prophæticam scripturam priuatæ explanationis esse, rectè dixeris, nihilominus tamen papalis Antichristi authoritas, alterum, vel potius aliud Euangelium, per quod sibi nouos fidei articulos condere liceat, in orbem profert: sibiq; vni sacrosancta Bibliorū volumina interpretādi ius esse asserit: propterea quod ipse solus errare non possit. Quū tamen & perniciosissimorum errorū, & iniustissimarum legum, & iniquissimarū expositionum, solus ipse hîc sit & autor & princeps. Quod quidē haud ità diffi culter agnoscere poteritis, si ad paucula quædā antideta christianæ, antichristianæq; doctrinæ capita summatim comprehendentia, quæ nūc vobis propositura sum, aduerteritis

uerteritis animum. Itaq; vt à diuina lege mihi nascatur
Exod. 20. exordium, sic primum dico. Quemadmodū dominus
Deus noster, Deus vnus, solus, atq; omnipotens est, ità
Act: 7. Et 17 se vnum, ac solum parentem optimum, inexhaustumq;
bonorum omnium fontem & cognosci vult, & haberi:
Quum ad beatitudinem consequendam solius Dei cognitio, imitatioq; sufficiant: vult se solū ad sui verbi praescriptum non in templis manufactis, aut externarum ceremoniarum pompa, sed animo ac verè coli, & inuocari. Vult solus ipse cui libuerit, & vt libuerit, sua conferre beneficia, quo ad se solum etiam quum laus, tum gratiarum actio inde redeat. Deniq; vult, vt sui seipsos ab-
Math: 16. negent, seipsos ac sua omnia diuinae prouidentiae curāda, seruandaq; cōmittant: ac seipsos demū vt uiuenteis
hostias offerant in sacrificium Deo. Contra verò ipse
1. Pet: 5. Papa ad papistici sui cultus prescriptum in templis à se
ipso sacratis, vult & ipsum Deum, & suos Diuos vnà, eo
1. Tim: 2. Et Heb: 7. Et 1. Joan: 2. Exod: 20. rumq; reliquias adorari. Vult eosdes suos Diuos bona petentibus praestare posse: neq; curat cuiusmodicunq; sint homines, modo velint, nolint, suis legibus pareāt: Vnicum patronum & Aduocatum nempe Iesum Christum suum filium mortalibus assignat Deus: At Papa idem officij suis etiam Diuis attribuit. Vetat sibi Deus cuiusuis generis imagines fieri: Papa verò non tantum has faciendas, verum etiam venerandas esse ait, quod rudioribus hominibus librorum instar Eae sint. ô Sathanicam imposturam. Praecipit Deus, vt iusiurandum per suum nomen datum sanctè praestetur: è contrariò Papa iurisiurandi religionem & publicè & priuatim suo ar-
Math: 12. bitratu temerè submouet, vt historiarum suarum testimonio comprobari facilè potest. Iesus Christus legis di

uinae

uinæ finis, vt tu Paule hunc appellas, externa Sabbati diuinitus instituti obseruatione cūctos liberat: & Papa sexcentos dies festos corporibus animisq; nocētissimos indicit. Liberos parentibus esse iubet obsequēteis Deus: è contrario Papa liberos eos cōmendat, qui se parentum obedientiæ vt Monachatum ingrediantur, subducunt: nam illos ad perfectionis accedere statum dicit: quanquam perditionis eum esse statum, non perfectionis, iam fieri palam cæperit. Neq; id solum, sed etiam filios nonnunquam in Parētes armat: præsertim in eos, qui non per omnia suis ipsius impijs cupiditatibus obtemperent. Vt cum Henrico huius nominis quarto Cœsare, compluribusq; alijs effecisse hūc cernimus. Nō permittit nisi per Magistratum Deus aliquem interfici: At Papa suæ sedis hostium interfectoribus ingentia vel in cœlo præmia pollicetur. Omnem concubitum præterquā legitimi Matrimonij prohibet seuerè Deus: Papa suis extra etiam matrimonium, indicta pecuniæ mulcta, Concubinas habere concedit. Omnibus interdicit Furto Deus: Nullū dānat furti Papa, modo sibi quoq; ex auersis partem aliquam tribuat. Falsi testimonij dictionem Deus coërcet: quam tamen Papa contra suos Aduersarios pondus habere confirmat. Deniq; præscribit Deus, vt nemo prauè concupiscat, propterea quod id non modo per se peccatum, sed etiam aliorum omnium peccatorum fons, origo, & causa præsentissima sit: & nihilominus contrauenienS Papa, omneis posse contendit, absq; peccato concupiscere: quod isthuc ipsū concupiscere non peccatum, sed perpetrati tantum ab Adamo peccati sit pœna. Atq; ita suis institutis non solū irrita facit præcepta Dei, verum etiam contra eadem

Dec: Dist: 54. Cap: Is qui non habet.

præcepta Dei, verum etiam contra eadem præcepta superbissimè facit. Ad hæc iubet idem Dominus Deus noster vt sibi vni, non autem alicui creatæ rei mortales omnes fidant. Verũ ex opposito Papa suis quoq;, quas vocant, absolutionibus, ac diplomatis vult eos ipsos fidere, Edicit item Deus, vt in se vno spem omnem simul omnes collocent: ex aduerso autem Papa etiam in diua Virgine Maria spem esse ponendam prædicat: quum illi spes ipsa & ex Dei gratia, & ex hominum meritis proueniat. Ioannes ait in Euangelio, sic Deum dilexisse hũc mundum, vt filium suum vnigenitũ dederit, quò quisquis ei fidem habeat, non pereat, sed vitam obtineat sempiternam: seq; suum Euangelium scripsisse, vt credant homines Iesum esse Christum Dei filium: & credentes vitam per eius nomen adipiscantur. At vitam hanc habere non posse homines asserit Papa, nisi sibi ipsi quoq; crediderint, ac sua ipsius præcepta fuerint executi. Tu etiam Paule dixisti Iesum Christum tanquam humanæ salutis fundamentum, hominibus à Deo iustitiam, sanctitatem, ac liberationem esse factum: quos quidem homines ipsi Deo idem ille non auro, atq; argento, sed preciosissima sua morte conciliauerit. E regione verò Papa mentitur sibi ipsis homines hæc omnia suis ipsorum operationibus ac benefactis, Diuorũ meritis, expositisq; pecunijs parare. Iesus Christus Ianuã se esse affirmat: per quã, qui intret, seruetur: videlicet innuens neminẽ posse nisi per hanc introeũtem seruari: præterea se vitã esse ait, quæ uitam omnibus donet. Et Papa tamen vbique cum suis concinit, diuam quoq; Virginem Mariam esse cœli portam: esse vitam, ac dulcedinem hominum. In Apocalipsi Ioannes inquit homines à suis ipsorum

peccatis

Salue Regina: et spes nostra salue.

Joan. 3.

1. Cor. 1.

1. Petri 1.

Joan. 10.

Cap. 1.

peccatis Iesu Christi agni immaculati, qui pro ipsis hęc præstet, sanguine ablui. Et tu etiam Petre dixisti Iesum Christum esse, cui Vates omnes testimonium dent, per eius nomen peccatorum veniam consequi quotquot illi fidem habeant. Et nō verecūdatur Papa impudenter asseuerare, Indulgentia & Iubileo coniugibus, necnon Bullis á se diuenditis ablui peccata mortalium: Nec veretur mentiri potestatem sibi per sacras literas, violenter huc á se detortas, esse datam: qua suo posit arbitratu, vel per se, vel per suos Administros delicta remittere. Deniq; nihil quicq; diuina volumina frequentius ob oculos ponunt, quam Christum Iesum esse vnicam perpetuamq; criminum omnium & purgationem, & expiationem: Et nihilo secius tamen audet Papa comminisci, post hanc vitam quendam esse locum extra Iesum Christum, vbi mortuorum hominum peccata per ignē purgentur. Quod quidem si verum foret, gratis, aut frustra potius ipse Christus esset mortuus. Acto: 10.

PA. O Sator ac Magister errorum omnium, ac simul animicida (quod in te est) Antichriste: Vnde quæso tot in Deum, atq; in Christum Iesum blasphemias colligere potuisti? Atq; hāc inprimis vnde hausisti obsecro? nempe locum esse aliquem extra Christum, in quo eorum, qui è vita iam cesserint, commissa purgentur? Nihil enim minus quam hanc impietatem ferre possum.

GRA. Ex eo Paule tuarum ad Corinthios literarū loco se id hausisse ait, vbi tu sic enuntias. Si quis Iesu Christo superstruit, aurum, argentum, gemmas, ligna, fœnum, stipulam, cuiusq; opus perspicuum per ignem fiet, si cuius opus, quod superstruxerit, manebit, Is præmium accipiet: si cuius opus comburetur, Is iacturam 1. Cor. 3.

faciet: quamuis euadet ipse quidem, sed sic vt per ignẽ. Quibus verbis Antichristus asserit, asserere te Paule extra hanc vitam locum inueniri, vbi crimina per ignẽ expurgentur. Insuper in Euangelio Matthæũ dixisse, inquit: Ei, qui maledictum effutiuerit in spiritum sanctum non ignosci, nec in hoc seculo, nec in futuro: Sed sacrum illud commissum expiari non posse. Ex qua sententia infert quædam esse omnino crimina, quæ in futuro etiam seculo remittantur. Ad hæc isthũc ipsum Purgatorij, quem vocant, locum, secundo Machabeorum volumine planissimè cõprobari, asseueranter affirmat.

PA. Vel hinc agnosci potest, quam imperitus, quamque etiam iniquus diuinarum literarum interpres Antichristus sit: qui Epistolæ meæ locum tam perperam exponat. Etenim quum meis Corinthijs hac de re scribebã (vt euigilata meis cogitationibus hîc reponam) nihil aliud habebã in animo, quàm Euangelij Ministros admonere, vt super Iesum Christum lapidem angularem, ac solidum fundamentum, non nisi cœlestem doctrinam gemmis, auro, atque argento similem superstruerent. Quod si quis humanam doctrinam lignis, fœno, ac stipulę non absimilem super exædificare tentasset, fore vt vtraque doctrina sancti Spiritus igne examinanda esset: Eumque, qui non penitus conformem fundamẽto doctrinam attulisset, vna cũ sua doctrina eodem sancti spiritus igne purgandũ esse. Vides itaque ansam illi, contra quam opinatur, esse pręcisam. Quod verò ad Euãgelistæ Matthęi locum attinet, nemini dubium est, Marcum alterum Euangelistam, illum explanare, quum ait: Eum, qui spiritui sancto maledixerit, nunquam assecuturum esse veniam: sed obnoxium futurum supplicio sempiterno. Quanquam

quam sint, qui per futurum seculum, vniuersalis iudicij diem intelligant, vt sacris literis mos est, hunc ipsum diem, futurum seculum aliquoties appellare. Porrò quod ad Machabeorum volumen spectat: primum affirmatè pronuntio, nunquam eum librum publicam fidem promeruisse: nunquam autoritate publica fuisse comprobatum: Præsertim quum omnibus & noui et veteris instrumenti scriptis hac in parte contrarius extiterit. Deinde sic aio: Virum fortissimum Iudam, quum suum illud sacrificium offerret, aliud intendisse, atq; aliũ sibi habuisse propositum scopum, q̃ quem ignotus autor eius libri eidem affingit. Nam illum pro viuis, non pro mortuis eiusmodi sacrum obtulisse non dubito: quemadmodum Iosue quoq; Dux egregius in simili causa superioribus temporibus effecerat. Quocirca quum prauè præposterèq; sit Is Autor, (vt apparet) Iudæ mentem interpretatus, manifestũ iudicium affert, se in sui operis calce non iniuria hæsitasse, an rectè cuncta conscripserit: id quod spiritus ille diuinus integer sanctarum scripturarum dictator suis in voluminibus minimè facit. Sed credibile est, quam hæc perperam ab Antichristo tractantur, sic alia quoq; permulta sacrarum literarum loca, vt suis ipsius vitiosis affectibus inseruiãt, deprauari. Quãobrem quicquid aliud, quod ad hãc impiam suam sententiam roborandam facere videatur, adducat, id omne omni asseueratione & corruptum, & falsum esse confirmo: quum neq; hîc, neq; alibi vsq; vlla sit alia peccatorum purgatio, quam vnicus Iesus Christus: qui pro peccatis vno functus in perpetuum sacrificio, suos omneis Electos eodem cumulatissimè expiauit.

GRA. Mihi quidem certè dubium non est Paule sic

esse vt tu ais. Verum quid agas? Ita homo est Antichristus: per externam faciem, seu laruã potius, omnia posse videri vult: per speciem religionis prauo, ac peruerso cultu, falsisq; opinionibus corrumpit omnia, per simulatam pietatem quærit etiã Electos (si fieri possit) in errorẽ inducere: per sectas deniq; perniciosas quas idem ipse vt falsus Magister introducit, Dominũ quoq; qui suo sanguine suos mercatus est, abnegat. Quemadmodum tu etiam Petre tuis in epistolis olim scripsisti.

Math: 24.

I. Pet: 2.

PE. Memini fateor, me scribere: Sed eũ, qui Romanus episcopus haberi velit, execrandi facinoris huius Autorem futurum, id verò tum minimè intelligebam. ô meritò tremendũ Dei iudicium. Verum perge obsecro de hoc longè post homines natos improbissimo viro, quæ restant, nobis explicare.

GRA. Si quis omnia, quæ de Antichristo dici possunt, nunc referre instituat, commentarium benè longũ informet, necesse est. Nam ea quibus ille impurus aduersatur Christo, plura esse multò, quam aut Schotistarum relationes, aut Thomistarum realitates, quas vocant, compertissimum est: vt interim taceam, quod his ipsis recensendis etiam opera luditur. Sed nos paucula tantum aliquot, quæ sunt hîc ad manum, addemus ad iam dicta. Iesus Christus ait, cœlestem esse spiritũ, qui sanctificet homines: ac de sua ipsorum salute certos esse iubeat. Contra verô Papa suas apotheoses eosdem sanctificare: ac neminem de sua ipsius salute certum esse posse pronuntiat. Quod sanè quid aliud est, q; Christianæ fidei fundamentũ (quod in se est) & demoliri & euertere? Regius ille vates Dauid precatur Dominum ne secum in ius eat, propterea quod nullus viuens coram ipso sit

Psal: 142.

iustus

iustus: quando nullus ex toto ipsius præcepta præstare possit: At suos Papa non diuina modo iussa, sed plus quoq; quam à Deo præceptum sit, exequi, vnde etiam supererrogationis merita (velut ipsi loquūtur) quæ mox alijs quoq; distribuant, sibi ipsis parare posse contendit. Christus ipse decernit, vt qui suam Ecclesiam, Cœtum videlicet vere sibi credentium, non audierit, Is perinde atq; Ethnicus ac publicanus habeatur. Et suam Papa è contrario Ecclesiam, quæ sathanæ Synagoga est, sub anathematis pœna vult audiri. Duo sulūmodo Christus Iesus in eadem Ecclesia sua sanxit esse sacra signa, Baptismum nempe, ac suā Cænam, quæ veluti sigilla quædam suis euangelicis promissionibus adiuncta, notis euidentibus Dei misericordiam erga suos contestarentur: sic inquam, vt ijdem illi sancti spiritus opera & baptismo regenerentur, & sacra cœna nutriantur ad æternam vitam Et Papa nihilominus non tantum isthæc ipsa profanat, coinquinat, & conspurcat, sed insuper è suo temerè ac scelerate alia quinq; his ipsis agglutinat.

Matth. 18.

Joan: 11. et Mat. 19.

Quo pacto priora illa duo christiana contaminet signa, prius indicabimus: Mox vt improbè sua etiam adiungat, subiungemus. Licet antequam huc accedo, vnum hoc mihi expromendum est: ipsum Papam his de omnibus tam à Christo, quam à se institutis signis coniunctim loquentem insigniter impie asseuerare, vnius modi eorundem omnium esse naturam, ac talem quidem, quæ Operis Operati papistici Herois opera omneis quotquot insignierint, iustificent: ac diuinam gratiam illis cōferant: capitalis modo criminis obicem non opponant: Me interim contempta, cui vni diuinitus horum officiorum executio est concredita: Præterquam quod etiā iubet

Eph: 2.

iubet idem Papa, vt qui exhibendorum huiusmodi si-
gnorum Administri sint, latina vtantur lingua perquã
paucis hac tempestate intellecta: quod aduersus ordi-
1 Cor: 4. nationem tuam est Paule: qui nota lingua vtendũ esse
censueris. Verum hoc parergôs asperso, iam ad institu
tum accedamus. Præcipit Iesus Christus, vt in nomen
Patris, & Filij, & Spiritus sancti, naturali ac simplici a-
qua baptizentur sui, quo modo fuit olim & ipse bapti-
zatus: vt externa huiusmodi lotione planè aperteq́; o-
stendatur, ità spiritum sanctum abluere sordeis animo-
rum, vt inquinamenta corporum emundat aqua, vtq́;
abluti ad Christi Contionem ascribantur, quo deinde
mortui mundo, ipsi Christo viuant, atq; omnium eius
bonorum participes sint: Papa verò his ferè omnibus,
vt quæ nihil ad suã rem faciant, prætermissis, hoc vnũ
curat, vt naturali ac simplici aquæ addat oleum, salem,
sputum, peculiareis vesteis, cereos accensos, incompo-
sita excantamenta, complureisq́; alias id genus super-
sticiosas conspurcationes, quò vel sic multò, quam fu-
erit Iesus Christus ipse, sapiẽtior appareat. Porrò quod
ad sacram Cœnam attinet. Christus Iesus illud postre-
mum conuiuium, quod ab se, Pascha, dictum est, cum
suis discipulis celebraturus more solito vestitus accu-
buit: atq; inter cœnandum nouam cœnam instituit: in
qua panem & vinum sui corporis & sanguinis visibilia
signa, suis omnibus edendum ac bibendum apposuit,
in eius mortis gratam commemorationem, quam vt ip-
Luc. 22 Et si à morte seruarentur idem pro illis tunc obibat: ac si-
1. Cor. 11. mul voluit, vt quoties in posterum hæc ipsa Cœna re-
peteretur à suis, in dictæ iam mortis, ac liberationis re-
cordationem id fieret, ac publicum indicium foret, quo
ipsi

ipsi Conuiuæ, sese eius Ecclesiæ, quæ suum ipsius corpus est, viua esse membra charitatis fraternæ vinculis in vnum copulata testarentur. Et nouus tamen ac præposterus Autor Papa ex ea Cœna sacrificium instituit: in quo suus sacerdos non solito more vestitus, sed histrionicis quibusdam amictus vestibus, non accumbēs sed ad aram assistens, conceptis quibusdā verbis ac Mimicis gesticulationibus panem & vinum in Iesu Christi corpus & sanguinem transmutat, ac transubstantiat (vt ipse ait) atq; ex eo mox idem solus edit, & bibit, in eius lucri iucundam commemorationē, quod ex aliorū damno sibi ipse conquirit. Moriturus iam Christus Iesus ob nimiam, qua suos prosecutus est, charitatē, corpus & sanguinem suū tastamento illis legauit, vt vtroq; per fidem perpetuò vescerentur: Et hoc ipsum vult Papa per suos sacrificulos quotidie offerri Deo: atq; ità (quod in se est) Christi Iesu testamentum irritum facit. Iesus Christus Agnus ille Dei se ipse semel offerrēs vnicum immaculatum & æternum sacrificium Deo, Mundi peccatum sustulit, atq; ipsi Deo fecit in perpetuū satis. Et Papa hunc eūdem Iesum Christum asserit suos per sacerdotes offerri Deo, vt hominum tam viuentiū quam mortuorū delicta, per illud ipsum sacrificium tollantur, quoddamq; veluti sit amuletum, per quod omnibus generis humanæ vitæ morbis ac necessitatibus opportunum remedium adhibeatur, quod ijdem sacerdotes authoritatem habeant applicandi (sic ipsi loquuntur) hæc sua ipsorum sacrificia ad quascunq; res bonas, siue malas ipsis libitum fuerit. In sua Cœna Iesus Christus panem ac vinum signa sui corporis & sanguinis edendum ac bibendum suis discipulis præbuit, libera

Hebr: 9.

deinde illis facultate permissa, vt quoties collibuisset, ad sui memoriam idem efficerent (quanquam ijs, qui tam ingens beneficium animo re vera grato prosequantur id frequenter efficere, liberè debet) Et Papa tamen affirmat, in ea cœna, quam suis ipse proponit, non panem & vinum, sed panis & vini tantũmodo accidentia sine subiecto, vt ipse nominat, exhiberi. Si accidentia sunt hîc sine subiecto, cui precor inhæsit rei venenũ illud quod Monachi cuiusdam opera in Eucharistiæ sacramento datum Henricus Cæsar eius nominis septimus, & Post hunc Victor tertius Papa, vt approbatæ contestantur historiæ olim auserer? Possũntne sola accidentia & pascere & occidere? Præterea non permittit Papa, vt ex eodem calice omnes bibant, quum tamen dixerit Christus bibite ex eodem omnes: atque insuper diris agit, & execratur eos omneis, qui quum ad idoneam ætatem peruenerint, non saltem semel quotannis ad cœnam
Col: 3. hanc suam accedant. ô Satanica instituta. Tu tuis in Epistolis Paule scripsisti Iesum Christum ad Patris dexteram in Cœlo sedere, vsque eo dum huc ad orbem iudi-
Act: 3. Act. 1. candum reuertatur: & tu Petre dixisti oportere cœlo capi Iesum Christum, vsque ad tempora instaurationis omnium: Angeli quoque quum is in cœlũ ascenderet, intuentibus Galileis anunciarunt, illum ita venturum, vt
Math: 26. conspexerant abeuntē: Quin & idem ipse suis discipulis indicauerat, secum illos haud seipsum esse in perpetuum habituros. Et Papa nihilominus enuntiat, Iesũ Christum, vt ità dicam, corporatum non modo huc è cœlo per sacrificulos suos suis illis conceptis verbis elici, Sed et elicitum, & capsulis quibusdam inclusum innumeris per orbem terrarum locis ad adorandum asseruari.

PA. O mendacium verè papisticū. Nonne nos, qui cœlestis paradisi ciues sumus, Iesum Christum perpetuò commorantem in cœlo contemplamur?

GRA. Nil sanè mirū mentiri Papam mi Paule, quū sit homo totus ex fraude ac mēdacio factus. Sed paucula hæc de duorum contaminatione signorū, quæ à Christo sunt instituta, dixisse sufficiat. Iam ad quinque illa, quæ idem Antichristus his duobus adiunxit descendamus: nam vel hinc etiam multò maximè Antichristianæ superbiæ fastus agnosci poterit, quum Papa se totum, quâtus quantus est hîc aperiat. Principiò igitur id sciendum est, Papam ipsum vt cōdendorum Christianæ fidei articulorum temerariam, ac falsam potestatem sibi ipsi arrogauerit, ità etiam arroganter, ac temerè instituendorum sacramentorum sibi authoritatem, quasi Deus aliquis foret, asciscere: quum solius Dei sint hæ partes edocere mortaleis quid de Deo credere, & quò pacto Deo credere debeant: atq; ipsis quum diuinam gratiam, tum salutem polliceri: eiusmodiq; pollicitationes quibus libuerit, signis externè testificari: quemadmodum suis ille scriptis vtiq; abundè præstitit. Quod quū ità sit, qui potuit Papa quinq; hæc domi suæ nata sacramēta, duobus à Christo Iesu institutis signis adiungere? Sed quū definito Dei consilio Christi opera omnia corrupturus esset Antichristus, minimè mirum videri debet, si etiam hac in re suam impietatem exeruerit: tametsi, vt hanc ipsam colore aliquo religionis obduceret è sacris literis suorum nomina sacramentorum excerpserit. Hinc audimus hoc in loco, & Confirmationis, & Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, & Ordinis & Matrimonij sacramēta vocari. Quæ sanè omnia vt Ceremoniæ sanctæ sunt,

quibus optimè quondam vtebatur Ecclesia Dei, sic neutiquam appellanda sunt sacramenta: quũ diuinas promissiones, quæ securitatem hominibus de bona Dei erga se voluntate præstent, sibi annexas non habeant: quæ quidem promissiones ad instituẽda sacra signa necessariæ sunt, vt quæ additæ corporeis rebus, ipsa signa constituant, & creditæ, perpetuam afferant salutem. Atenim Papa non modo diuinam hac in parte viciauit scripturam, qui è simplicibus Ceremonijs sacramenta confecerit, verum etiam ipsas Ceremonias ità iam inquinauit, vt Antichristianã potius quã Christianã faciem habere videantur: id quod ex ijs quæ dictura nunc sum, magis multò perspicuum fiet. Confirmatio (vt hinc narrare incipiam) ea erat Ceremonia, qua vos olim Apostoli vtebamini, quum lotis baptismate, vt afflarentur Spiritu sancto, manus imponebatis: quaq; secundum ea veteres vsi sunt Patres, quum eos, qui tenera fuerant ætate babtizati, per adolescentiam denuo christianis dogmatibus instituebant: atq; ab eisdem exigebant, vt publicè iam per se quoq; suam fidem profiterentur. Ex hac ipsa demum Papa sacramentum effecit, quo ipsius Episcopi promiscuè pueros atq; adolescenteis, immò ferè non nisi puellos nulla christianorum dogmatum adhibita institutione inungunt suo chrismate sub his verbis. Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Atq; asserit ludicra huiusmodi actione spiritum sanctum dari ad augumentum gratiæ, non secus ac in baptismo prius ad plenitudinem innocentiæ sit collatus: vt qui in baptismo regenerati sunt ad vitam, post baptismum confirmentur ad pugnam. Adeoq; vrget hæc

Act: 19.

sua

ſua ſomnia, vt neget planè chriſtianum futurū, qui Epiſcopali ſuo chriſmate non fuerit confirmatus: quā Porrò Confirmationem multis de cauſis maiori quàm baptiſmum veneratione proſequendam autumat, & quia nō per ſacrificulum quemuis, vt ipſum baptiſma, ſed per Epiſcopum tantummodo conferatur: & quia in fronte fiat, quæ corporis pars multò quam cranium, quod baptiſmate ſignatur, eſt dignior: & quia deniq; virtutum magis augmentum quàm baptiſmus exhibeat. ô Sathanicam doctrinam non minus barbaris & ineptis verbis, quàm conſceleratis ſententijs promulgatam. Quem obſecro ſanæ mentis horum deliramentorum, atq; harum impietatum iam non pudeat? Ergo non erit planè Chriſtianus, qui papiſtico Chriſmate non fuerit obſignatus? Quaſi verò qui Chriſtum in baptiſmate per fidem induunt, non ſimul omnium ipſius bonorum participes fiāt? aut non omnis omnium ſalus ab vno ipſo Chriſto dependeat. Sed ad alteram iam Ceremoniam accedamus. In Pœnitentia Prouincia (Non de ea, quæ in papiſtico bonorum operū Regno nunc eſt, loquor, verū de priſca illa in qua olim non Papæ ſed Chriſti vigebant Epiſcopi, iam verò humi proſtrata iacet) quæpiā huius generis Ceremonia fuiſſe perhibetur, vt ſi quis publicè deliquiſſet, publica item pæna ab Epiſcopo indicta corrigeretur: Sed enim ſimul ac Reus pœnā ex inſtituto pependerat, per eundem Epiſcopum reconciliabatur Eccleſiæ ſolenni quodam ritu, qui per ipſius Epiſcopi manuū impoſitionem fiebat. Hanc ipſam Ceremoniam primò ſacramentum Papa voluit appellari: deinde ex eadem in ſuo Bonorum Operum Regno Prouinciam conſtituit, in qua treis vrbeis inædificari iuſsit, quæ ad ſuorum

De Confecr. Diſt: 5. Cap: 1. et Cap: vt Ieiunii: et 4. ſentent. diſt. 7.

4. senten. dist. 14. Et de poeni dist. 1. Cap. secunda tabula.

populorum inducenda delicta velut aptissimæ quædam haberentur officinæ. Nam in his illas fabricari secundas tabulas instituit, per quas innocentiæ vestis in baptismate prius accepta, peccandoq́; deinde corrupta, post naufragiũ resarciatur. ô plus quàm papisticam iniquitatem. Sola Dei commiseratione per Christum Iesum credentibus condonantur delicta, non autem neq; primis, neq; secundis tabulis, quæ vana pariter & ingrata aduersus gratuitam Dei beneficentiam hominũ ociosorum inuenta sunt. Verum iam aggrediamur ad tertiam. Extrema Vnctio, vt hodie illam nominant, ea est Ceremonia, qua vos Apostoli consueueratis aliquoties vti, quum ægrotos ad sanitatem reuocaturi, eos ipsos oleo perungebatis. Nam quemadmodum quum aliquẽ baptizabatis manuum impositione sancti spiritus visibile donũ illi per vos conferebatur, itâ quũ essetis quẽpiam restituturi in pristinam sanitatem, nonnunquam oleo soliti eratis illum inungere: quò palam fieret sanitatis munus esse à spiritu sancto profectum. At hoc tempore, quum patrandorum miraculorum facultas ad prædicatum per vos euangelium confirmandum ea tempestate concessa, iam subtracta sit, quid aliud est amabô vos vti velle huiusmodi Ceremonijs, quã vanas hac in parte Simias Apostolorum agere? Et nihilominus Papa ex huius Vnctionis itidem Ceremonia sacramentum fecit: asserens id ab apostolo Iacobo fuisse inuulgatũ vbi ait. AEgrotat vestrũ aliquis, accersat Ecclesiæ seniores, qui pro eo supplicẽt, atq; illum in Domini nomine vngant oleo: & fidei supplicatio laborãtem seruabit: eumq; alleuabit Dominus: & si in peccatis fuerit, ignoscentur illi. Quibus ex verbis colligit suum hoc sacramentũ duabus

abus potiſſimum de cauſis eſſe inſtitutum, videlicet vt peccata remittat, & vt ægris morbo graui ſubueniat, ſiquidem id eis vtile ſit: ſin minus, vt animæ ſalutem afferat. Atq; hoc etiam eſt, quamobrem nolit id ſacramenti niſi ſuos per ſacrificulos tradi, nēpe ſub his verbis. Per iſtam ſanctam vnctionem, ac ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Deus quicquid oculorū, aurium, odoratus, guſtus, ac tactus vitio commiſiſti. Cæterum quā ij Scenici geſtus cū Apoſtolicis verbis quadrent, oro parumper attendite: Nam ex ipſa collatione nullo negocio deprehēdi poterit omnia hîc eſſe quā deprauatiſſima. Iacobus ait, quum quis in ægritudinem incidat, eſſe tunc inungendū: Papa verò inquit, ægrotum non eſſe perungendum niſi quum agat animam Iacobus Eccleſiæ ſeniores, qui perungant introducendos eſſe dicit: Papa vult ſuos ſacrificulos ad id muneris, tāquam Eccleſiæ Ii Seniores eſſent, accerſi: quaſi verò veſtra tempeſtate ſacrificulorum hæc in orbe fæx eſſet. Iacobus oleum ſimpliciſſimum vt natura fert, accipiendum cenſet: At Papa non permittit hîc adhiberi oleum, niſi ab Epiſcopo ſuo, ſumma ſanctimonia flexis nouies genibus conſecratum. Addit hoc deniq; Iacobus, quod quum quis AEger inungitur, ac pro illo preces offeruntur Deo, ſi fuerit in peccatis, remittentur illi, nō vtiq; ſic ſentiens, vt per ipſam vnctionem delicta cōdonentur: ſed quod credentium obſecrationes mala valetudine cōfecto Fratri ſint ab ipſo Deo leuamē aliquod impetraturæ. Contra pronuntiat Papa per ſanctam illā vnctionem expiari cōmiſſa: & corporis animæq́ue ſanitatem conferri: Quàm bellè hæc inter ſe cōueniūt: præterquàm quod etiam inerudita locutione prolata, blaſphemi

4. Senten. diſt. 23. Cap. vltimo

phemijſq; referta ſunt. Nam quis obſecro æquis auribus accipiat huic externæ vnctioni criminum condonatione͂, quæ ſolius Ieſu Chriſti eſt, attribui? Quod quæſo tandem liberatores habebimus? ô Antichriſtianã impietatem. Sed ad quartam iam Ceremoniam pertractãdam veniamus. Sacer ordo (ità enim nunc appellant) Ceremonia illa erat, qua in inſtituendis Miniſtris antiquitus vtebantur Eccleſiæ. At ex hac itidem Papa Sacrame͂tum architectatus eſt, adeò quidem & inſulsè, & abſurdè, vt inter ſuos etiam Theologos & Canoniſtas homines opinioſos & refractarios non conueniat, quot miniſtrorum ordinibus oporteat eſſe cõpactum. Quidam enim non niſi ſeptem huic aſſignant, vt ſepte͂ Sancti ſpiritus dona, ab ipſis item ſic numerata, quibus ornatos eſſe miniſtros decet, ità referant. Hoſq; inquiunt nũcupari Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, Acolutos, Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes. Alij verò Nouem vt nouem Angelorum ordines, qui in Eccleſia triumphante adminiſtrant ipſi Deo, repreſentent: Sicq; iam dictis ordinibus duos addunt: capiti quidem primam tonſuram, calci autem Epiſcopos. Verum vt hi papiſtici Magiſtri Doctoreſq; in ordinum ſuorum certo numero conſtituendo diſſentiunt, ità in impijs quibuſdam proprietatibus ex æquo cunctis ordinibus tribuendis mira vel ſcelerata potius inter eos conſenſione conuenit: omneſq; ſimul hac in parte cõnexas in vnum caudas veluti Sampſonis Vulpes habent. Proprietates autem quas affingunt, huiuſmodi fermé ſunt, vt dicant, ſacros hoſce ſuos ordines diuinam cõferre gratiam ijs, qui eiſdem initiantur. Inſuper efficere, vt qui fuerint initiati, exequentes eorundem ordinum officia, ſimiles Ie-

sũ Christo fiant: Qui & ipse dũ inter mortaleis adhuc ageret, eorum omnium muneribus (vt nugatoriè mentiuntur, & mendaciter nugantur) sit functus, & ipsorũ munerum functionem Ecclesiæ suæ in posterum vtendam tradiderit: Aiũt nanq; ipsum Iesum Christũ Ostiarij officium explesse, quum facto ex funiculis flagello vendenteis & emẽteis eiecit è templo: atq; etiam quũ dixit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, seruabitur. Lectoris autem quum in Synagoga ex Iesaiæ prophetæ capite sextodecimo aliquantulum legit. Exorcistæ verò quum plurimos â malis spiritibus curauit. Acoluti quoq; quum dixit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ. Subdiaconi etiam quum sumpto linteo se precinxit: deinde immissa in peluim aqua, discipulorum pedes lauare instituit, ac linteo, quo præcinctus erat, abstergere. Diaconi similiter quum suis discipulis á cœna distribuit sui corporis & sanguinis sacramentum: ac paulo post illos admonuit, inquiens. Adeòne non potuistis vnam horam vigilare mecũ? Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Sacerdotis deniq; quũ inter cœnandum panem & vinum in corpus & sanguinem suũ commutauit, ac se ipse obtulit in sacrificiũ Deo. Præterea ijdem Magistri Nostri asseuerant, omneis hos ordines requirere, vt qui ipsis inaugurantur, capitis verticem radant: quod quidem signum est, eosdem inauguratos esse Reges: Atq; huc detorquent quod abs te Petre tuis in Epistolis dictum est: Vos lectum genus estis, Regale Sacerdotiũ, sãcta gens, populus acquisitus.

4. Sent: n: dist: 24. Et in dec: dist. 23.

1. Pet. 2.

PE. Heu sacrilegium: Quod omnibus ego verè christianis commune dixi, velle sibi ipsis peculiariter ascribere

bere. An non est hoc de eo tanquam suo titulo gloriari, quem cunctis Christo fidentibus surentur?

GRA. Mirum verò ex malis coruis oua mala progigni? Sed ad reliqua pergamus. Eędē Papisticæ Creaturæ insuper addūt hanc ipsam capitis abrasionem plurima quoq; alia continere mysteria: quorū tamen omnium, quod & vana & ridicula sint, relatione hic superse debo: atq; ad enarrandos initiandorum Ministrorum ritus nunc descendam, vt appareat etiam hac in parte q̄ vestra Ceremonia cum Papæ sacramento conueniat. Sic itaq; iam inquio. Consueuerunt sacræ literæ, qui publici muneris functione inseruiant Ecclesiæ Dei, eos appellare Episcopos, Presbyteros, Pastores, Ministros, Doctores, ac Diaconos: quod si quos alios etiam præter hos alijs nominibus nuncupent, vt alicubi omnino faciunt, ij non videntur hic recensendi: propterea quod illorum functio primordijs Ecclesiæ solummodo legitimis quibusdam de causis inseruiuit: neq; deinde pertransiuit ad posteros: vt non nisi, quos hic iam commemorauimus, habuisse stabileis Ecclesia videatur. His igitur initiandis & vos Apostolos, & ab ætate vestra recenteis Patres manuum impositione simplici vsos fuisse notius esse arbitror, q̄ vt hic referri sit opus, quem sanè ritum vos è Mosaica lege sumpsisse crediderim: Vbi quicquid Deo dicandum & consecrandum erat, impositione manuum eidem offerri consueuerat. Satis constat, eiusmodi Ceremonia solitos in hoc initiari Deo Symmystas omneis euangelicos, vt scilicet Episcopi, Presbyteri, Pastores, ac Ministri, qui pro eodem ferè vobis accipiuntur, Euangelio prædicando: sibi commisso gregi Verbo Dei pascendo: institutis à Iesu Christo si-

gnis legitimè administrandis, populi vitijs ecclesiastica disciplina corrigendis suorũ omniũ vitæ necessitatibus quibuscunq; pro virili parte leuandis. Doctores autem interpretandis, explanandisq; syncere diuinis literis: Diaconi verò fideliter distribuendis pro cuiusq; indigentia concreditis eleemosynis diligentem operam sine vlla intermissione nauarent. Porrò iam è contrario licet inspiciamus, quàm ludicris ritibus, & ad quæ vana partim, partim impia munera suorum Ministrorũ gradus, ordines à Papicolis nuncupatos, per suos Episcopos inauguret Papa. Suis autem ipsorum verbis etsi barbaris & indoctis hîc vtemur, ne calumniari possint, vlla ex parte me sua contaminasse, temerasseve mysteria. Sic ergo inquiunt. Ostiariis claueis Ecclesiæ dantur ab Episcopo, & dicitur eis: Sic agite, tanquã rationem Deo reddituri pro rebus, quæ clauibus istis recludũtur. Lectoribus traditur ab Episcopo codex diuinarũ lectionũ, & dicitur: Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleueris officium, partem cum ijs, qui benè verbum Dei ministrauerunt. Exorcistæ accipiunt de manu Episcopi librum Exorcismorum, & dicitur eis: Accipite, & habetote potestatem imponendi manus super Energumenos & Catechumenos. Atq; hic ordo à Salomone videtur descendisse: qui quendam modum exorcizandi inuenit, quo Dęmones adiurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati Exorcistæ vocati sunt: de quibus Christus in Euangelio: Si ergo in Beelzebub eijcio Dæmonia, filij vestri, scilicet Exorcistæ in quo eijciunt? Acolithi Græcè, Latinè Ceroferarij dicuntur. Ad Acolithum pertinet præparatio luminum in sacrario: Ipse cæreum portat: Ipse vrceolũ

4. Sentē. dist. 24. vt supra.

cum vino & aqua ſuggeſta pro Euchariſtia Subdiaconis præparat. Hi quum ordinantur, quũ edocti fuerint ab Epiſcopo qualiter in officio ſuo agere debeant, ab Archidiacono accipiunt candelabrum cum cæreo, & Vrceolum vacuum. Græcè Hypodiacones vocantur, quos nos Subdiaconos dicimus: Hi quum ordinantur, accipiunt de manu Epiſcopi patenam & calicem vacuum: Ab Archidiacono verò Vrceolum cum aqua manili, & manutergium. Ad Subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Chriſti deferre, & Leuitis tradere, eiſq; miniſtrare. Græcè, Diacones, Latinè, Miniſtri dicuntur. Hi quum ordinantur, ſolus Epiſcopus eis manum imponit, quia ad miniſterium applicantur: Ponit eis orarium, id eſt ſtolã ſuper leuum humerum, vt per hoc intelligant, ſe accepiſſe iugum Domini ſuaue, quò ad ſiniſtram pertinentia diuino timori ſubijciant. Accipiunt & textum Euangelij, vt intelligant ſe eſſe præcones Euãgelij Chriſti. Ad Diaconum pertinet aſſiſtere ſacerdotibus & miniſtrare in omnibus, quæ agũtur in ſacramentis Chriſti, ſcilicet in Baptiſmo, in Chriſmate, in patena, & calice, oblationes quoq; inferre, & diſponere in altari: componere etiam menſam Domini, & veſtire: Crucem ferre, & prædicare Euangelium, & Epiſtolam ad populum. Presbyter Græcè, ſenior interpretatur Latinè: Ideo autem Presbyteri ſacerdotes vocantur, quia ſacrum dant: qui licet ſint ſacerdotes, tamen pontificatus apicẽ non habent, ſicut Epiſcopi: quia ipſi nec chriſmate frontem ſignant, nec paracletum dant: quod ſolis deberi Epiſcopis lectio Actuum Apoſtolorum demonſtrat. Vnde & apud Veteres ijdem Epiſcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud eſt nomen dignitatis

gnitatis,non ætatis: Sacerdos nomen habet compositū ex græco & latino,quod est,sacrū dans,siue sacer dux. Ad Presbyterū autem pertinet sacramentū corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere: orationes dicere:& dona Dei benedicere:Qui Presbyteri quū ordinātur,inūgūtur eis manus,vt intelligāt,se accepisse gratiam consecrandi, & charitatis opera debere extendere ad omneis. Accipiunt etiā stolā,quæ vtrunq; tenet latus quia debent esse muniti armis iustitiæ contra aduersa et prospera. Accipiunt etiam calicem cum vino, et, patenam cum hostijs,vt per hoc sciant,se accepisse potestatem placabileis Deo hostias offerendi. Si autem quæritur quid sit,quod hîc vocatur,Ordo,sanè dici potest,signaculum esse,id est sacrum quoddam, quô spiritualis potestas traditur ordinato, & officium. Character ergo spiritualis, vbi fit promotio potestatis,Ordo, vel Gradus vocatur: Et dicuntur hi ordines, sacramēta, quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia confertur:quam figurant ea, quæ ibi gerūtur. Sed hactenus ipsorū verba ad verbum retulisse sit satis, tum quia mihi persuadeo vos iam ex ijs posse per vos facilè intueri, quid inter vestram Ceremoniam,& papisticū hoc sacramentum sit conuenientiæ,tum verò quia vereor,ne tam ineptas ac sceleratas nugas diutius effutientem nauseetis. Nisi si forte ad vos pertinere putatis hoc etiam scire,characterem illum,per quem (vt ipsi loquuntur)fit promotio potestatis,nihil aliud esse,quam bestiæ notam, de qua Ioannes in Apocalypsi mentionē facit. Cap: 13. Porrò autem quâm alias etiam externę ad ecclesiasticum ministerium vocationis parteis corruperit Papa,hîc non addam,ne penitus vos enecem, si recensere

voluero quemadmodũ absq; vlla disquisitione aut syncerae doctrinae, aut integrae vitae, aut boni nominis eiusmodi ministeria iniustissimè conferat, non ijs, qui eas habeant conditiones, quibus tu Paule tuos olim Ministros ad Timotheum scribens exornasti, sed ijs, qui per se currentes impudentissimè ambiant, ijs, qui maiorem nummorum numerum inuerecundè offerant: ijs, quibus longae, duraeq; seruitutis, aut quod alioqui muliebria (auribus aedsit honor) sint passi, compensanda est merces: ijs deniq;, quorum gratia sit promerẽdus Principum fauor: siue sint pueri: siue sint imperiti: siue sint omnibus vitijs, atq; omni dedecore infames: qui neq; sciant, neq; possint, neq; velint in ministrandi exercitatione versari: Sed solummodo dignitatum, deliciarum, voluptatum, ac diuitiarum causa pinguibus opimisq; sacerdotijs, necnon alijs opulentissimorum prouentuum plenissimis, ac foecũdissimis locis percupiant frui. ô post hominum memoriam scelestissime omnium Antichriste Papa, per quem vnum iniquissimè fit, vt nec Romae, nec vsquam alibi nunc Episcopi, caeteriq; Administri re vera sint Episcopi, aut Administri: Sed huiusmodi tantum nomina sibi fictè atq; inaniter assumant. Nam quum neq; vocentur, neq; eligantur, neq; initientur à legitimis Autoribus ad sacrarum literarum praescriptũ, sed à solo Papa: qui quod fidelium cõgregationis est, contra ius & fas tyrannicè sibi arrogat, nec praeterea debiti muneris administratione, sed indebiti potius curatione fungantur: iure optimo non Christi Iesu Ministri, Sed Antichristi Papae contempta, abiectaq; mancipia vocandi sunt. Verum de lepidis his capitibus ridiculè rasis haec nunc hactenus. Iam ad quintam Ceremoniam

moniam, quæ vltimum habet hîc locum, deueniamus. Matrimoniũ vt sacrosancta sane institutio Dei est, qua marem ac fœminam ad sobolem procreandam, ad mutuam opem sibi inuicem ferendã, & ad vagos illicitosque concubitus coercendos legitimè voluit coniugari: ita nequaquam esse sacramentum asseueramus: quum careat ijs appositis, quæ sacris conuenire signis nõ ità dudum commonstrauimus. Et sacramentum tamen ideò ex hoc etiam fabricatus est Papa, vt eas causas, quarum cognitio Matrimonium spectat, ad suum forum hac ratione deduceret: quemadmodum per sui quoque iuris Pontificij formulas, quas obligationes Cameræ vocant, reliquarum ferè omnium ciuilium causarũ iudicia ad suum tribunal attraxit. Quantum verò diuinam itidem hanc institutionem idem Antichristus vitiauerit, in ipsius nefarijs legibus manifestò deprehenditur: vt quæ iubeant in Coniugijs, quæ fieri prohibentur à Deo: atque è contrario vetent ea fieri, quæ fieri permittũtur à Deo. Liberè concedit ipse Deus, vt quicunque sit natus atque aptus ad præstandum Maritum, Is valeat Vxorem ducere, quęcunque sit, quæ sibi cõnubio iungi non recuset: nullas omnino ab hoc suo concessu personas excipiẽs, nisi pauculas aliquot, quas ipse per Mosem in sua lege nominatim commemorat. Et nihilominus interdicit matrimonio Papa quamplurimis alijs, quibus à Deo neutique est interdictum. Initio vetuerat suos omnes ad septimam vsque progeniem matrimonio copulari: quod sibi sex propinquitatis gradus confinxisset: quibus cognatio sanguinis terminaretur, haud secus quam sex ætatibus mundi generatio: atque hominis status finitur: quemadmodum etiam post hanc vitam, quæ septem diebus

Leuit. 18.

4. Senten: dist. 40. Et can 35. Quæst. 5. Capite progeniem suam.

ebus agitur, Ecclesia Christo iungetur: Quanq; id postea non nisi ad quartam sobolem retraxerit ob quatuor videlicet humores, qui sūt in corpore humano: quod est conflatum ex quatuor elementis. ô causas & rationes non minus acuto sensu, quàm verbis elegantibus expresssas. Deinde spiritualem quoq; nescio quam affinitatem inter suos fallaciter excogitauit: qua qui coniuncti sint, inire coniugij societatem inter se non queant.

4 Senten: dist: 42. Et causa 30 Quæst: 1. Cap. de eo.

Præterea non sustinet, vt baptizatus quis Vxorē non baptizatam sibi habeat: aut contra: Quum tamē tu Paule id licere, si inter ipsos conueniat, arbitreris. Insuper non sinit, vt qui simul aliquando commiserint adulterium, simul vnqnam Coniuges esse posſint: neq; patitur eum, qui alterius coniugum mortis, quò superstitem ducat, Autor sit, posse superstitem ducere: quāuis horum vtriusq; contrarium in Dauide & Bathsaba diuinæ literæ luculenter ostendant.

4: Senten: Distin. 35. Et causa 13. quæst: 1. Cap. Nullus 4 Senten. dist. 34. Et 37. et 38

Ad hæc arcet à iure connubij quotquot ordinum suorum tribus primis classibus ascribuntur: nec non misellos eos omneis tā mareis, quam fœminas, qui Monachatum Prouinciam incolant. Quod quidem interdictum licet in ijs omnibus innumeros omnis generis obscænarum libidinū fructus, atq; id quidem nonnunquam etiam apertissimè pariat, plurimi tamen extrinseca simulatæ religionis facie capti, statum inter hos esse perfectionis arbitrantur. Longum mihi est commemorare, non solum vt alios quoq; complureis è suis Papa cælibes esse cogat, qui ipsius velint & muneribus, & beneficijs frui, Verum etiam vt & aliquod anni tempus excipiat, in quo nulli hominum ex æquo sit fas Vxorem ducere. Sed satis hæc paucula hîc sint, vt hac etiā in parte cognoscatis,

4. Senten: dist. 32.

2. Tes. 2.

gnoſcatis, Papam illum ipſum Antichriſtum eſſe qui poſt Imperij Romani defectionem abs te Paule deſcriptam exortus & ſacrarum literarum, & in Ieſum Chriſtum fidei (quod in ſe eſt) defectionem pariter inuexerit. Quare quemadmodum Is idem etiam Autor eſt ne diuinæ ſanctiones firmamentum, ac robur obtineant: ita è contrario tam quod ab ipſo Deo, quam quod ab ſe quoqꝫ eſt vetitum ſepiſsimè relaxat. Nemini licere (Matth. 19:) vult Deus diſiungere matrimonia, quæ ipſe coniunxerit, niſi eas ob cauſas, quæ ſuis in ſcriptis annotantur: & quamplurimas tamē alias Papa præter diuinitus annotatas comminiſcitur cauſas, quamobrem interpoſita pecuniarum largitione ſuo arbitratu temerè coniugia dirimat: Si adulterij cauſa diuortium fieri contingat, neutri eorum qui ſeiuncti ſint, facultatem adimit Ieſus Chriſtus, quin, ſi libuerit, alteram Vir Vxorem, aut alterum Mulier Virum poſsit ducere: & nihilominus negat id Papa poſſe fieri, niſi poſtqꝫ alter eorum, qui Diuortium fecerit oppetierit mortem: atqꝫ ita ſontis Inſontem perpeti ſupplicium cogit. ô iuſtitiam planè Papiſticam. Sed de hiſce quoqꝫ ſacramentis adulterinis iam ſatis. Nam ex ijs quæ hucuſqꝫ dicta ſunt, animaduertere vos poſſe arbitror, quàm probè diuinis iſtitutionibus, ac veſtris Ceremonijs hæc improba Papæ ſacramenta conueniant.

(Mat: vbi ſupra 4 Senten. diſ. 35. Et Cauſa 32: Quæſt: 7. Cap. Apoſtolus dicit.)

PE. Sic inquam vt denſiſsimis tenebris fulgentiſsima lux.

GRA. Sed pergam quò cœpi, dum Raphael ad nos reuertitur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus admonet ſuos omneis, vt in omnibus vitæ partibus temperantes ac moderati ſint, præſertim verò in cibo & potu, ne (Luc. 21.)

ipſorum animi crapula & ebrietate obruantur: nō ideò tamen iubet, ciborum diſcrimen ac delectum haberi, vt non liceat quouis cibo, & quo tempore magis libeat, ſobriè veſci: quum nihil quod in os intrat, coinquinet hominem: ac dierum obſeruatio & religio Moſis iam abrogata lege interciderit: & nihilo ſecius tamen capitalis criminis reos agit Papa, quicunq; carneis comederint ijs diebus, in quibus id ipſe fieri ſuis legibus prohibet, nihil interim curans ſi lautiſsimis quibuſq; alijs cibis ad vomitum vſq; ſeſe ingurgitent: ac nimio potu ad ebrietatem vſq; madefiant. Verum enimuero vnde melius Paule, q̄ ex tuis Epiſtolis agnoſcemus Papam eſſe Antichriſtum? Tu nanq; futura per Spiritum Sanctum prædicens ità ſcripſiſti olim: Spiritus certò loquitur, quod vltimis temporibus deſciſſent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, ac doctrinis Dæmoniorum, per ſimulationem falſiloquorum cauterio notatam habentium conſcientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere á cibis, quos Deus creauit, ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui cognouerunt Veritatem: quod quicquid creauit Deus bonum ſit: & nihil reijciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Itaq; quum liquidò conſtet Papam hæc omnia ſuis decretis efficere, quis vſqueadeò cæcus erit, vt non videat Papæ doctrinam dæmoniacam eſſe, atq; ipſum Papam ipſiſſimum Antichriſtum? Ad hoc enuntiat Ieſus Chriſtus Euangelium ſuum, Regnum ſpiritale omnino eſſe, inq; ſenſibus intimis vigere: vbi ex immortali ſemine per ſermonem viuentis Dei homines renaſcantur, ac ſpiritum ſanctum diuinitus accipiant: qui quidem vt illos ad o-

1 Tim: 4.

mnia

mnia charitatis officia cunctis ex animo præstanda sua-
pte vi semper agit, ita liberat ipsos à molesto atq; ad-
uersante placitorum chirographo, vt nihil amplius eos
damnet ob cibum, aut potum, aut festorum discrimen,
aut quiduis aliud eiusdem generis. Attamen è regione
Papa carnale quoddam, externumq; regnum per se cō
stituit: in quo sine vlla spiritus innouatione sibi homines
iustitiam parent earum legum obseruatione quas ipse
de cibis, vestibus, locis, diebus, personis, rebusq; alijs
huc facientibus tulit: atq; è contrario damnatione di-
gni sint, qui illas ipsas minimè obseruauerint. ô Sata-
nicum Antichristi Regnum. Ergo per Iesum Christum
Deus à sua ipsius lege Christicolas vindicauit, & ab-
soluit, vt ne isthæc ipsa posset illos damnare, quemad-
modum ne seruare quidem certè potest, vt hisce postea
suas leges imponeret Papa, per quas deniq; aut seruā-
di, aut damnandi forent? ô mortalium cæcitas ingens, q̄
indiges tu quidem cum Tobiæ pisce, qui tibi oculos, tū
gratia Dei, quæ tibi mentem aperiant, vt abominationē
desolationis in loco sancto consistentem veluti calami-
tosum nefas intueri & agnoscere valeas. Cæterum quid
etiam de terrarum orbis imperiosa tyrannide, quam ad-
uersus diuina scripta iniquissimè sibi arrogat Antichri
stus hic dicemus? Christus Iesus Dei filius dominatu Mat: 17. Et
pollentibus hic paruit, ac suos itidem parere iussit: & Luc. 22.
nihilominus Papa, & Satrapas, & Monarchas, & reli-
quos mortaleis omneis vni sibi, velint, nolint, parere
cogit: quod ius vtriusq; gladij (sic ipse loquitur) solus ha
beat, per quod etiam in omneis homines, & in omnium
hominum bona omnia sibi (vt impudentissimè menti-
tur) imperium sit. Verum ecce tibi Raphael noster huc

pergit: lætus est nescio quid, arbitror illi ex sententia successisse. Iam tempus hinc abeundi nobis est. Atenim vt institutum de Antichristo sermonem priusquam discedimus, ad exitum perducam: In summa hæc accipite. Compendiaria magis nulla est via, qua Papam esse Antichristum planè deprehendere valeamus, quàm si diligenter obseruemus, ipsum esse qui in templo Dei sedeat, ostentans se ipsum esse Deum, Immò seipsum extollens supra quicquid dicitur Deus aut Numen. Quo autem pacto supra Deum sese efferat, suis ipse factis ostendit, quum sua ipsius instituta diuinis adeò præceptis anteponit, vt multò asperius eos puniat, qui illa, quàm qui hæc fuerint quouis modo transgressi. Enimuero vult eum grauius deliquisse, ac propterea maiore supplicio dignum, qui verbi causa die veneris carnem ederit, quod contra suam ipsius tantũ est legem, quàm qui publicè sit adulter, aut etiam in ipsum Deum blasphemus quod contra diuinam legem sine dubio est. Id quod in pluribus alijs rebus item facit. Haud secus etiam supra Dominum nostrum Iesum Christum se extollit, quum affirmat ipsum Christum Iesum sua morte non nisi criminum culpam condonare, se verò eorundem & culpam, & pœnam remittere. In hac porrò compendiaria via signum quoddam instar Hermæ situm est, vnde Papam Antichristum esse itidem summatim comprehendamus: id autem est, nequissima omnium ipsius vita, cũ dæmoniaca doctrina coniuncta: qua verum Dei cultum qua salutis humanæ cognitionem: qua contradita ab Iesu Christo sacra signa: qua deniq; totum ecclesiasticum ministerium, primaria Christianæ religionis capita, & corrumpit, & destruit, & euertit: quemadmodum

Archimedes non posset melius describere.

ijsdem

ijsdem de rebus etiam diffusius paulò supra commemorauimus. Verumtamen optima in spe sum, quandoquidem in hoc monstrum tam perniciosè de republica christiana promeritum iam lata sententia est, propediem fore, vt verbo Dei penitus conficiatur: atque ex humanæ naturæ finibus exterminatus intereat: Id quod omnes, qui ex animo Iesu Christo sunt addicti non tantum optare, sed humilibus obsecrationibus à Deo contendere omnino debent: quò tandem ipsius ecclesia ab Antichristiana, dæmoniacaque tyrannide liberetur.

PE. Sanè benè mones. Nam hoc impetrato nõ amplius in diuinam gloriam sua superbia insultabit Antichristus: neque impia doctrina contaminabit Ecclesiam Dei: neque flagitiosa vita erit omnibus offendiculo: nec denique rabioso furore Christi mẽbra dilaniabit ulterius. Etenim cum Christi grege tum pessimè agitur, quum qui canes esse debuerant, luporum funguntur officio. Sed coram adest iam Raphael.

RA. Adsum equidẽ: & saluere vos omnes iubeo.

GRA. Tu quoque saluus sis mi Raphael: Atenim rectène omnia?

RA. Rectè mea Gratia. Nam vt legationem breuibus tibi renuntiem, nullo negocio totum negocium peregi: multoque citius huc reuenissem, nisi paululum nescio quid incommodi me detinuisset.

GRA. Quidnam id obsecro?

RA. Dicam tibi, loca duo longè celeberrima hîc sunt in Vrbe: quorum alterum, Datariam: alterũ Pœnitentiariam nuncupãt, quibus in locis tanquam in amplissimis Emporijs, Galerorum, Mitrarum, Pileorum, Officiorum, Sacerdotiorum, Absolutionum, Dispensa-

tionum, Commutationum, Licentiarum (sermone tam scito Romæ nunc loquuntur) aliarumq; eiusmodi rerum emendarum, ac vendendarum fit quæstuosissima mercatura: Vnde pecuniam ingentem et haurit & exorbet Papa. Ad has igitur papisticas aurifodinas, quũ ob huiusmodi negociationes, ac nundinationes frequentissimus vndiq; concursus hominum sit, rem eò loci non admodum celeriter expedire potui. Statim tamen atq; mihi facultas fuit, mandatum negocium confeci, & commodum huc me subduxi.

GRA. Et maturè satis, et sedulò abs te gesta res est mi Raphael. Nunc itaq; nihil aliud superest, quam vt ex hac perditissima Babilone simul omnes in aliquẽ tutum locum festinanter euolemus. Ibi posteaquam Bertucij fratris nostri rebus quâm fieri possit, optimè consuluerimus, in cœlestem Hierosolymam reuertemur.

FINIS.

AD EVANGELICAM IESV CHRISTI ECCLESIAM IN POLONIA RENASCENTEM IN PSALMVM CIII. FRANCISCI NIGRI BASSANENSIS BREVISSIMA PARAPHRASIS.



REgum ſuſpiciant alta potentium
Mortales miſeri ſceptra, ebur indicum,
Luxus Attalicos, Mœonias opes,
Partam & milite gloriam:
Præſtanteis animos plurima gentibus
Horum dona ſuis diſtribuentium
Tollant: Hos titulis eximijs vocent
Auguſtos, patriæ patres.
At mi quæſo anime heus maximum & optimū,
Qui cuncta imperio ſuppoſuit ſuo,
Imo tu potius pectore laudibus
Exortis celebres Deum.
Huius tu liquidum nomen ad æthera
Hinc ſublime tuis carminibus feras:

Vni quandoquidem est omnis ab omnibus
Ascribendus honos Deo.
Non rebus bonitas prouida conditis,
Non & fine carens munificentia
Huius, non memori corde benignitas
Ampla vnquam excidat è tuo.
Nam non Is modo quicquid refluum mare
Quicquid grata parens terra animantibus,
AEther quicquid habet sideribus micans
Largis dat manibus tibi:
Verum se pariter, se omnigeni boni
Fontem perspicuum prodigus exhibet.
Ingens vsqueadeò nostri amor hūc habet
Effusissimus in suos.
Infectæ ingenitum crimen originis,
Quo tractum est hominum in perniciem genus,
Necnon ingenij quisq; quod impij
Designat vitio sui,
Condonat facilis: Nec reminiscitur
Vllorum scelerum post veniam semel
His, quos esse sui constituit gregis
Agnos, gratuitò datam.
Nec tantum medicas interioribus
Curandis adhibet vulneribus manus,
Sed mœstis etiam corporibus graueis
Morbos exterius leuat.
Sic te de miseris intus & in cute
Conseruat reducem casibus erutum:
Sic vitam ex Erebi faucibus euocat
Redditq; incolumem tibi.
Quid? quod iam potior commiseratio
Huius te Phrygia condecorat mitra?

Huius

Huius purpureo quod diademate
Ornat gratia te magis?
Quid? quod sufficiens omnia victui
Opportuna cibis omne animal replet?
Et rugans Aquilæ non secus, ac per hunc
AEtas fit iunior tua?
Hic est, qui minimè sustinet affici
Insontem iniuria: Iure sed huic adest
Fautor, Ceu populo per Pharaonicam
Oppresso rabiem suo.
Hic Mosi egregio, ac præcipuo Duci,
Hebræisq; alijs exposuit vias,
Affectusq; suos, & quibus excoli
Demum ritè velit modis.
O Numen placidum, numen amabile
Assuetum vberius commiserescere:
Nunquam tam grauis hoc exagitat furor
Quin subsideat illicò.
Is clemens adeò est: atq; adeò pius
In natos genitor, non queat vt diu
Illis asperius vel minitarier,
Nedum sæuius hos premat.
Atq; huiuscemodi patria lenitas
Est illustrior, ac lucet apertius
In nobis, grauium quos criminum reos
Punire haud grauiter solet.
Quin quanto ætherius panditur altius
A tellure polus, maxima comitas
Huius tam superat iudicij sui
Vim erga corda verentia.
Et quantum exoriens lucifer aureus
Distare occiduo vespere cernitur,

Culpas

Culpas omne genus pondera noxia
Tam nobis abigit procul.
Errantem genitum quàm miserans parens
Ad sese reuocat, parcit & huic lubens,
Tam sueuit Deus ijs parcere dulciter
Ipsum qui ex animo timent.
Hoc fit propterea quod benè nouerit
Is nostræ miseram conditiunculam
Naturæ, veluti puluerei soli
Eductæ ex humili luto.
Norit nos etiam non aliter breui
Huic concedere, quàm versicoloribus
Pratis herba virens messa subareat,
Ac fœni speciem trahat.
Nostram præterea nouerit omnibus
Non esse absimilem gloriolam modis
Flori deciduo, sternere quem solet
Auræ flatus humi leuis.
Is verò in nihilum denique sic redit
Vt quo floruerit dulcè prius loco
Fragrans, dulcè nitens, ne valeant quidem
Vel vestigia conspici.
At contra placidi larga benignitas
Per non mensa Dei secula ductileis
Radices agit, ac perpetuò viget,
Confertur que verentibus.
Dehinc suaui Deus & iustitia patres
Donat cum genitis in seriem benè
Longam, quos cupidè legibus obsequi
Addictos videat suis:
Quos que haud immemores fœderis antea
Icti conspiciat stare fideliter

Pactis

Pactis, ac properos his studiosius
Seruandis operam dare.
Iam sese probitas huius vt exerit
Tot tantisq; simul, quæ tribuit bonis,
Summe conspicuum sic decus enitet
Maiestatis in hoc Deo.
Nam supra Is penitus lucida sydera
Excelsum solium constituit sibi,
Ac rerum Dominus rector & omnium
Orbem hinc temperat æquius.
Huic præsto est numerus non numerabilis
Cœli spirituum sede fruentium,
Qui perquam validè credita munia
Ab Rege hoc faciat frequens.
Vos ô vos igitur cælituum sacri
Collaudate chori mellifluis modis
Hunc ipsum: et numeris dulcisonis rogo
Gesta huius canite inclyta.
Vos inquam superis agminà fortia
Sanctè exercitibus perficientia
Magni iussa Dei, Vos precor ipsius
Magna encomia promite.
Et Vos ò reliqua, ô Vos opera omnia
Diuino arbitrio extantia reddite
Huic præconia, læta huic epinicia,
Vester qui est opifex, Deo.
Sed tu præ reliquis ò mi anime obsecro
Amplis magnificæ laudis honoribus
Extollas Dominum, gratus ab hoc data
Semper munera prædicans.

FINIS.

